AD 230 f 3 a

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex libris F. Fr. Seraphini a Jesu Ma.
Pro Bibliotheca S. Mae Transpont. de Urbe

DE

FRAVDIBVS HÆRETICORUM AD ORTHODOXOS TRACTATIO


Perutilis hoc tempore.


PARS I.

PER

FRANCISCUM SIMONIS

S. TH. L.






MOGUNTIÆ,
Typis LUDOVICI BOURGEAT, Academiæ Typographi.

M. DC. LXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



ORDO MATERIÆ.

PARS PRIMA

DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM IN PROSEMINANDIS ERRORIBUS.

Digitized by Google

FRAUS

Digitized by Google



PARS


Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATA.

Præfat. *pag.* 3. *l.* 3. dolos *corrig.* dolo, *p.* 2. *l.* 4. *à fine* spurcissimus *c.* spurcissimis, *p.* 8. *l.* 11. Bervisii *c.* Bruisii, *p.* 11. *l.* 11. delegavit *c.* delegit, *p.* 21. *l.* 9. animadvertens *c.* animadvertas, *p.* 26. *l.* 9. 10. politicorum *c.* politiorum, *p.* 28. *l.* 1. ferocere *c.* ferocire, *p.* 31. l. 17. Augustinus *c.* Augustinus narrat. *p.* 33. *l.* 14. inficiant *c.* inficiunt, *p.* 35. *l.* 3. aptare *c.* optare, *p.* 59. *l.* 13. discipulas *c.* discipulos, *p.* 59. *l.* 8. *à fine* accidunt *c.* occidunt, *p.* 59. *l.* 6. *à fine* tutori *c.* autori, *p.* 60. *l.* 1. Brizantini *c.* Bizantini, *p.* 64. *l.* 11. Schytæ *c.* Scythæ, *p.* 66. *l.* 4. *à fine* eo *c.* eos, *p.* 69. *l.* 10. habet *c.* habeat, *p.* 71. *l.* 16. obſervādæ *c.* obſerandę, *p.* 81. *l.* 4. suffodiant *c.* suffodiunt, *p.* 89. *l.* 3. habent *c.* habet, *p.* 92. *l.* 9. temerè *c.* tenere, *p.* 93. *l.* 5. nœchiam *c.* mœchiam, *p.* 94. *l.* 15. suscripta *c.* subscripta, *p.* 95. *l.* 7. *à fine* subversum *c.* inversum, *p.* 103. *à fine dele* tam, *p.* 108. *l.* 9. *à fine* domi *c.* domo, *p.* 114. *l.* 14. Glancoplutum *c.* Glaucoplutum, *p.* 114. *l.* 6. *à fine* invocat *c.* invocant, *p.* 115. *l.* 2. suasq; *c.* suisque, *p.* 115. *l.* 3. *à fine* exposuit *c.* exposui, *p.* 125. *l.* 19. rejiciat *c.* rejicit, *p.* 132. *l.* 17. prioribus *c.* primoribus, *p.* 132. *l.* 4. *à fine* illis. *c.* hymnis. In Approbat. *p.* 2. *l.* 2. J.U.L. *c.* S.T.L.

Digitized by Google



PRÆFATIO.



Estra intereſt, Orthodoxi, noſſe Hæreticos. Hoc igitur agam lucubratione tripertitâ, ut Hęreticos noveritis.

Compendio videbor poſſe rem abſolvere, ſi definitione utar S. Thomæ:[a] *Hæreticus cenſetur, qui pertinaciter repugnat determinatis autoritate univerſalis Eccleſiæ*; QUÆ QUIDEM AUTORITAS PRINCIPALITER RESIDET IN SUMMO PONTIFICE .... *contra cujus autoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum, ſuam ſententiam defendit.*

[a] 2.2.q. 11.a.2. ad 3.

Placet definitio: ſed rem ipſam,

 quam

Digitized by Google

quam ago, non abſolvit. Si quem ſciero pertinaciter repugnare determinatis ab Eccleſiâ, aut Summo Pontifice, ſcio Hæreticum eſſe. At verò ne videantur repugnare pertinaciter, ac ne repugnare quidem, mille habent artes, & Fraudes Hæretici: efficient planè, niſi caveris, ut quod ſcis, neſcias, aut neſcire tibi videare. Hoc ergo agendum nobis, ut fraudes Hæreticorum retegantur, quibus ritè perſpectis, ipſa hæreſis involucra indicium hæreſis præbebunt.

Porro perlegenti, quæ dabo, admirationem parient, ſi non fallor, hæreſes tam variæ erroribus, tam ſimiles fraudulentiâ. Rem admiratus eſt magnus Athanaſius contra Arianos diſputans: [a] "In ſingulis, inquit,

[a] *Diſp. I. contra Arian.*

quit, hæresibus transfiguratus Dia- "
bolus dictiones subjicit plenas do- "
los ...... omnibus tum publicè, tum "
privatim persuasit Syncophanta il- "
le, ut mendaciis niterentur. Illud "
quoque prorsus admirabile, omnes, "
quotquot sunt, hæreses in fingendo "
diversa, pugnantiaque inter se af- "
ferre, nec alibi, nisi in fraudando, "
sibi invicem consentire, & copu- "
lari: unum enim habent autorem, "
qui ipsis ubique mendacia assemi- "
nat." Rem ipsam eleganti simili- "
tudine amœnam fecit Gregorius IX. Pontifex in eâ Constitutione, quam contra Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josephinos, Arnaldistas, aliosque Hęreticos condidit. *Excommunicamus universos Hæreticos ...... facies*

quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas: quia de vanitate conveniunt in idipſum. Aſtu Sampſonis uſum Diabolum indicat, qui hæreſes omnes, veluti fraudulentas vulpes, caudis copularit, fraudaturus lætâ ſegete fœcundos Eccleſiæ agros; hoc major Sampſone artifex, quod vultu ipſo, & corpore toto hæreſes tam diverſas invenerit caudis ſolis præcipuè nocituris tam ſimiles, facilèque copulandas.

Cenſeo verò operæ pretium me facturum Orthodoxis, ſi diligentiùs veſtigatas Hæreticorum fraudes in medio ponam, ne noceant incautis, quod unum ago hoc opuſculo: cui proinde præfari mihi licet cum Leontio ad Neſtorianorum

Digitized by Google

rum retegendas fraudes ſeſe accingenti: [a] "Nemo iniquo animo, quæ dicentur, ferat; quoniam non ſumus nos autores horum malorum, quæ audientur, neque cauſas præbuimus dicendorum: in multis enim libris myſteria eorum impia feruntur. Siquidem & ipſe precarer, & optarem, ut ſilentio, & tenebris hujuſmodi impietatis Myſteria contegerentur. Nunc verò non ut vos malorum diſcipulos facerem, ſed potius ut à gravibus malis liberarem, ad has me narrationes contuli, ſummo ſtudio eos fugiens, & omnibus quàm poſſum maximâ voce dicens; fugite Vos, fugite; præruptis, & barathris longe fugite."

[a] *Lib. 3. cōtra Neſtor & Euthy.*

Porro quantum ſit periculum,

ne

ne incautis noceant Hæreticorum fraudes, vidit, exhorruitque Bernardus.[a] Sunt omnino pleræq; tam subtiles, ut nō sint observatu faciles, nedum vitatu; ut mihi cum Mellifluo Doctore exclamare liceat:[b] " juvate me socii, ut capiatur vulpes " demoliens vineam: vel potius ca- " pite vos nobis eam, ô Angeli sancti. " Versuta est valde, operta est ini- " quitate, & impietate suâ: plane " tam pusilla, atque subtilis, ut faci- " lè quidem humanos frustretur ob- " tutus; numquid & Vestros? .... " Docete, & suggerite, qualiter fraus " deprehendatur: hoc enim est cepis- " se vulpem: quia longè plus nocet " falsus Catholicus, quàm si verus " appareat Hæreticus."

[a] Ser. 45. in Cant.

[b] Ibid.

Quoniam verò & Angelos Sanctos

ctos ad pervidendas technas tam ſubtiles illuminari oportet divina luce, hanc ipſam cum Auguſtino imploremus: [a] " Et tu quidem, Domine, lux mea, illumina oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingam in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos iſtos multos, niſi videat eos? Et quis videbit eos; niſi quem illuminaveris lumine tuo? Ipſe enim Pater tenebrarum laqueos ſuos abſcondit in tenebris ſuis, ut capiantur in eis omnes, qui ſunt in tenebris ſuis, qui ſunt filii tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat, non timebit. .... Tu lux Domine, Tu lux filiorum lucis, Tu dies qui neſcis occaſum, in quâ ambulant

[a] Soliloq. c. 17.

Digitized by Google

„bulant filii tui ſine offenſione, &
„ſine quâ omnes, qui ambulant in
„tenebris ſuis; quia te lucem mundi
„non habent."

Nos verò ſpe freti lucis hujus Fraudes ipſas ingrediamur.



PARS

Digitized by Google



PARS PRIMA.

DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM IN PROSEMINANDIS ERRORIBUS.

FRAUS I.

Mentiri sanctitatem vitæ.

a ATTENDITE *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matthæi locum interpretans S. Hieronymus, " Specialiter, inquit, de " Hæreticis intelligendus est: qui videntur con- " tinentiâ, castitate, jejunio, quasi quadam " pietatis se veste circumdare: intrinsecus " verò habentes animum venenatum, simpli- " ciorum fratrum corda decipiunt. "

a Mat. 7.

Fraudem antiquissimam in Marcionistis, atque

atque Valentinianis, cæterisque Hæreticis, detexit olim, ac detestandam exhibuit Origenes in Ezechielem scribens; [a] "Vide mihi, inquit, aliquem Marcionistam, sive discipulum
„ Valentini, aut certè cujuslibet hæresis defen-
„ sorem, & considera, quomodo idola sua, id-
„ est figmenta sua, quæ ipse composuit, man-
„ suetudine, & castitate vestiat .... juxta mei
„ quidem animi sensum multò nocentior est
„ Hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrinâ suâ
„ habet authoritatis eo, qui doctrinam conver-
„ satione commaculat........ Idcirco sollicitè ca-
„ veamus Hæreticos, qui conversationis opti-
„ mæ sunt; quorum fortè vitam non tam Deus,
„ quàm Diabolus instruxit: nam quomodo
„ quasdam illecebras escarum aucupes propo-
„ nunt, ut faciliùs aves capiant per oblectamen-
„ tum gulæ; sic (ut audacius dicam) EST QUÆ-
„ DAM CASTITAS DIABOLI, idest, decipula
„ humanæ animæ, ut per istiusmodi castitatem,
„ & mansuetudinem, & justitiam possit faciliùs
„ capere, & falsis sermonibus irretire."

[a] Homil. 7.

Quamdam Diaboli castitatem, cæterasque virtutes, rectè commeminit Origenes. Etenim Hæreticorum Pater primâ Ecclesiæ ætate, parum etiamnum peritus spargendarum hæreseon, hoc ferè egerat, ut spurcissimus Gnosticorum, aliorumq; Hæreticorum moribus Ecclesiam commacularet. Factum igitur est denique, ut suâ ipsi turpitudine exosi, atque detestabiles

testabiles vulgò essent Hæretici. Hoc animadvertens ille, nihilo in se melior, speciem mutavit, suscitansque Montanum, atque Montanistas, hæresim induxit pudicam, probam, sanctam; si speciem pro re acceperis: [a] jejunia, continentia, martyria, Ecclesiæ disciplina, Spiritus Sancti charismata, hæc ipsis in ore erant præcipuè, atque etiam reipsâ perplacebant, ut videbatur. Ibi damno suo Ecclesia didicit, quantò graviùs metuendi sint Hæretici diabolicis virtutibus nitentes, quàm apertis vitiis infames.

[a] Philast. de Hær. cap. 50. Epiph. Hæres. 48.

Sed alibi nusquam periculosiores Hæreticorum virtutes, quàm ubi magno Principi perstrinxere oculos; his enim illi solent præcipuè insidiari. Habebat Imperator Constantinus in egregiâ indole hoc vitium; uti Religionis, & Christianarum virtutum erat ipse apprimè amans, & studiosus, sic speciem virtutis à virtute ipsâ parum solerter distinguens, haud ægrè expugnabatur à vaferrimo quoque. Carò ea res stetit Sancto Patriarchæ Athanasio, carò itidem Ecclesiæ universæ, cum Imperatoris magnanimâ simplicitate abuteretur Arianorum pessimus Eusebius Nicomediensis. Fraudem denique perspexit Constantinus, ac deploravit in eâ epistolâ, [b] quam adversus Eusebium, & Theognim ad Nicomedienses dedit.

[b] Theodoret. Hist. Eccl. lib 1. cap. 19.

Mirum magis, fucato splendore virtutis hæreticæ

hæreticæ potuisse ad tempus saltem illudi viris & sanctissimis, & perspicacissimis, Athanasio, Epiphanio, Hieronymo, Gregorio Nazianzeno, Paulino, Augustino, ipsi Damaso Pontifici Romano.

De se quidem, atque Athanasio fatetur Epiphanius,[a] errores recensens Apollinarii Hæresiarchæ. "Egregius ille, inquit, ac venerabilis senex, quem nos & beatæ memoriæ Papa Athanasius, imò verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinarius Laodicenus hujus dogmatis autor & propagator extitit. Ac principio quidem, cum id nobis nonnulli ex ejus discipulis narrarent, fidem non habebamus, neque verisimile putabamus, à tanto viro errorem ejusmodi profectum, &c." Apollinario eodem Antiochiæ se fuisse usum Magistro ad explanationes sacras, ingenuè profitetur S. Hieronymus.[b] Apollinarii discipulum Vitalem sibi carum fuisse fatetur Gregorius Nazianzenus[c] excusans se, quod eo id tempore, quo Damasus Papa Vitali communionis litteras præbuerat, haud perspectâ ejus fraude, quâ deinde à Damaso damnatâ, ipse quoque vitandum sibi Hæreticum non dubitaverit.

Haud facilè invenias probum virum, cui æquè sit illusum vanâ specie virtutis hæreticæ, atque Paulino Episcopo Nolano, cujus simplici credulitate factũ est, ut & S. Hieronymo,


&

a Hæres. 77.

b Epist. 65.

c Epist. 2. ad Cledan.

Digitized by Google

& S. Augustino illusum utcunque sit. Vigilantium Hæreticum & apud se ægrotantem Paulinus fovit, & Hierosolymas proficiscentem S. Hieronymo commendavit, ut virum probum, & pium.

Pondus suum habuit commendatio: respondens enim Paulino Hieronymus [a] "SANCTUM, inquit, VIGILANTIUM PRESBYTERUM, " quâ aviditate susceperim, melius est, ut ipsius " verbis, quam meis discas litteris." Attamen & " epistolâ eadem quiddam sibi suboluisse pravi ingenii in Vigilantio, haud obscurè significat, & apertiùs prodidit in Vigilãtium jam notum Hęreticum scribens. [b] "Quid tibi faciam? inquit; Credidi Sancti Presbyteri Paulini Epi- " stolis. .... Nec reprehendo Sanctum Virum..... " Sed meipsũ arguo, qui alterius potius acquie- " vi, quàm meo judicio, & oculis aliud cernen- " tibus, aliud schedulæ credidi, quàm videbam." "

[a] Epist. 13.

[b] Epist. 75.

Minus est mirandum errasse Paulinum in Ruffino, atque Melaniâ Nolam divertentibus, dum ex Palæstinâ redibant, Romam invecturi errores Origenis. Ruffinum, atque Melaniam summis extulit præconiis Paulinus ad Severum scribens. [c] Non mirum: Ecclesiam universam in sui rapuerant admirationem iis virtutum exemplis, & sapientiæ studiis, quibus se lustris omnino quinque Hierosolymis, velut in Academiâ sacrâ considentes, exercuerant.

[c] Epist. 9. 10.

Etiam

Etiam à Pelagio Hæresiarchâ captum fuisse Paulinum, non unâ causâ est dolendum. Primum quidem, quod captus fuerit usque adeo, ut & Augustinum pellexerit in ejus amorem. Sed verò Augustinus haud paulò perspicacior ad hasce fraudes, quâ ratione amorem correxerit, Paulino ipsi explicuit. [a] "Pelagium, inquit, quod ut servum Dei dilexeris, novimus: „ nunc autem quemadmodum diligas ignoramus. Nam & nos non solùm diliximus, verùm etiam diligimus eum: sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando diliximus. Tunc enim, quia nobis rectæ fidei videbatur; nunc autem, ut ab iis, quæ inimica, & adversa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordiâ liberetur."

a Epist. 105.

Dolendum verò magis, perniciosam extitisse Nolanæ Ecclesiæ Paulini Episcopi lusionem illam in Pelagio, quod intelligo ex eâ epistolâ, [b] quâ Paulinum docuit Augustinus de rebus contra Pelagium gestis à Carthaginensi, & Milevitano Concilio, ipsoque Innocentio Papâ, addens, cò hæc à se commemorari, quòd intelligeret, in Nolanâ civitate "Tantâ pro isto errore quosdam obstinatione niti; ut dicerent, facilius esse, ut etiam Pelagium desererent, atque contemnerent, qui hæc sentientes anathematizasset, quam ab hujus sententiæ, sicut eis videbatur, veritate discederent." Didicit ergo optimus Episcopus, quàm

b Epist. 106.

quàm ſint Eccleſiæ pernicioſæ virtutes hæreticæ, quamquo oporteat acutum cernere Præſules, ne vanâ Sanctimoniæ ſpecie deluſi in Eccleſiam ſuſcipiant latâ portâ irruentem hæreſim ipſam.

Quid mirum Populo imponi ſpecie iſtâ, quando tantos viros eadem cepit? Periculum animadvertens Leo Papa Romanam plebem inſtruxit ſedulò adverſus Manichæam abſtinentiam, cæteraſque virtutes Diabolicas; [a] " Nihil, inquit cum hujuſmodi hominibus commune ſit cuiquam Chriſtiano, nulla cum talibus habeatur Societas. .... Neminem " fallant diſcretionibus ciborum, ſordibus ve- " ſtium, vultuumque palloribus. Non ſunt ca- " ſta jejunia, quæ non de ratione veniunt conti- " nentiæ, ſed de arte fallaciæ. Hactenus nocue- " rint incautis, hactenus illuſerint imperitis: poſt " hæc nullus excuſabilis erit lapſus, &c. " "

[a] Ser. 4. in Epiph.

Quis homo de plebe, niſi probè munitus hujuſmodi præceptis, mali quidpiam ſuſpicetur Hæreticum Doctorem contuitus, qualem nobis Neſtorium depinxit Theodoretus? [b] " In numerum Presbyterorum relatus, docendique populi munere impoſito, ſtatim in exordio oſtendit, qualis totâ vitâ eſſet futurus. .... Turbulentum, & inſtabile vulgus ,, ad ſui deſiderium excitavit fuſcâ veſte indutus, ,, triſtis incedens, ſtrepitus forenſes declinans, ,, pallore corporis continens videri affectans, ,,

[b] Hæret. fab. lib. 4. c. 12.

Digitized by Google

„ libris domi ut plurimum incumbens, ac in
„ otio, & quiete secum habitans. Hoc habitu,
„ & hâc simulatione populum inescans magnam
„ ætatis partem transegit, Christianus videri potius,
„ quàm esse studens.“

S. Bernardo præcipuè comperio luctandum fuisse cum virtutibus hæreticis, seu Diabolicis. Quantum desudavit, ut larvam detraheret versipelli Hæretico Henrico Principis Ildephonsi, [a] *quem deceperat pietatis species*, gratiâ abutenti ad suscitandas Petri Bruisii insanias? Divûm, hominumque opem imploravit [b] Bernardus ad retegendam fraudem *tam subtilem, ut facilè quidem humanos frustraretur obtutus*. Etenim "Recens, inquit, vastatio
„ vineæ vulpem indicat affuisse: sed nescio quâ
„ arte fingendi ita sua confundit vestigia callidissimum
„ animal, ut quà vel intret, vel exeat,
„ haud facilè queat ab homine deprehendi........
„ Si fidem interroges, nihil Christianius; si conversationem,
„ nihil irreprehensibilius: & quæ
„ loquitur, factis probat. Videas hominem in
„ testimonium suæ fidei frequentare Ecclesiam,
„ honorare Presbyteros, offerre munus suum,
„ confessionem facere, Sacramentis communicare:
„ quid fidelius? jam quod ad vitam, moresque
„ spectat, neminem circumvenit, neminem
„ supergreditur. Pallent insuper ora jejuniis,
„ panem non comedit otiosus.......... Ubi
„ jam vulpes? Tenebamus eam: quomodo
elapsa

[a] *Epist. 240.*

[b] *Serm. 65. in Cant.*

elapsa est è manibus, quomodo tam repente "
disparuit? Iustemus, investigemus, &c. " "

Haud minus negotii Bernardo fuit cum Arnaldo Hæretico Petri Abailardi discipulo, cõscitis in Galliâ, ipsâque Urbe Româ turbis infami in omnes annos Discipulum pariter & Magistrum ait, [a] "In victu & habitu habentes formam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, eò decepisse plurimos, quò transfigurarunt se in Angelos lucis, cum essent satanæ."

Sed Arnaldum commendat impensiùs in eâ epistolâ, [b] quam ad Rogerium Episcopum dedit: "Adhuc forsan hæretis, & miramini, quemnam dicere velim? Arnaldum loquor de Brixiâ, qui utinam tam sanæ esset doctrinæ, quàm districtæ est vitæ. Et, si vultis scire, homo est neque manducans, neque bibens, solo cum Diabolo esuriens, & sitiens sanguinem animarum: unus de numero illorum, quos Apostolica vigilantia notat habentes formam pietatis, virtutem illius penitus abnegantes: Et ipse Dominus, *venient*, inquiens, *ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*"

Hæreditariam fraudem ad nostram usque ætatem longâ serie deduxere hæreses. Quis illam Hæreticus non haberet familiarem? Quando & Martinus Lutherus, cùm esset animi intemperatissimi, tamque fastuosi, ut pro Symbolo sibi sumeret; [c] *Cedo nemini*, sciret tamen

a *Epist. 189.*

b *Epist. 195.*

c *Vlemberg in Vita Luth. cap. 1.*

mon in loco, & tempore verba ad humilitatem componere, ac planè Christianam fingere demissionem; quam ipsam, ubi stabilitum se vidit, stolidam humilitatem appellare gaudebat.

Melanchton, Calvinus, Muncerus, nullus non Hæreticus nobis ætate conjunctior, virtutes doctus Diabolicus prodiit: sed jam horum tædeat.

Disce haud levis amator Orthodoxæ fidei, oculis tuis cavere, ne admissâ in animum inani specie sic commoveare, ut rem illico censeas, statuasve orthodoxum esse oportere, quidquid illa afflarit. *Est quadam castitas Diaboli*, ut Origenes monebat: est & Diaboli modestia, gravitas, demissio, lenitas, cæteræque virtutes. Illi mites, illi modesti, & pacati viri, bestiis ferociores & crudeliores sunt. Ambrosio credo. "Cave, inquit, [a] versutæ disputationis venena; animam petunt, guttur invadunt, „ vitalibus vulnus affigunt....... ipsis graviores & „ rapaciores bestiis........ Nec vos moveat, quòd „ formam prætendere videntur humanam: etsi „ foris homo cernitur, intus bestia fremit; & „ ideò eos lupos esse non dubium est, juxta Do„ mini Jesu divinam sententiam........... vestitum „ ovis habet, facta prædonis: foris ovis, intus „ lupus est, qui modum non habet rapinarum, „ qui tanquam in nocte scythico membra dura„ tus gelu, cruentus ora circumvolat, quærens „ quem devoret."

a *Lib. 7. in Luc. c. 10.*

FRAUS

FRAUS II.

Præcipuè mentiri caritatem.

QUid speciosius caritate, pace, concordiâ? harum studio virtutum si quis admitti postulet, quis repellat? Hanc ergò speciem imprimis piorum oculis nunquam non objecere Hæretici.

Nullum Hæresiarchæ Arii consilium æquè fuit perniciosum Ecclesiæ, ac illud, quo condemnatus nuper ab Alexandro Patriarchâ protectorem sibi delegavit Eusebium Nicomediæ Episcopum, qui & suopte ingenio nihil non ausurus videretur, & Constantiæ Magni Constantini sororis favore subnixus, haud segnius effecturus, quidquid esset ausus. Rem Ecclesiæ tam luctuosam aggressus est callidus serpens Arius misso sibilo Caritatis. Extat ejus epistola in Commentariis Theodoreti, [a] quâ Eusebii patrocinium efflagitat: in ipso exordio nomen objicit caritatis. "Proficiscente, inquit, Nicomediam patre meo Ammonio, postulare visa est officii mei ratio, ut tibi per illum salutem dicerem, simulque insitam tibi caritatem & affectum, quo fratres propter Deum, & Christum ejus prosequeris, admonerem, &c. " Versipellis hypocrita, omnis expers

[a] Eccles. hist. lib. 1. c. 4.

 cari-

Digitized by Google

caritatis, ſola flagrans ambitione, & odio, jam, jamq; veſtem Chriſti diſciſſurus, ut prædixerat S. Martyr Petrus Patriarcha Alexandrinus, Tragœdiam orditur à caritate, & quidem à caritate *propter Deum, & Chriſtum ejus*. Hâc ille ſpecie populo haud ęgrè impoſuit: ſed mirum eſt, tot Epiſcopis potuiſſe, quos in illâ epiſtolâ gloriatur à ſe ſtare, Euſebio Cæſareæ, Paulino Tyri, Theodoto Laodiceæ, Gregorio Beryti, cæteriſque.

Eâdem arte ſtrenuè eſt uſus, ſed non perinde cepit Nicolaum Papam Pſeudopatriarcha Photius; Ille [a] *ſimulator, hypocrita, raptor, lupus, graſſator, falſorum auctor dogmatum, Dioſcoro & Lucifero cacodæmoni comparatus*, velo quodam caritatis ſe involvere eſt conatus. Mirifica prorſus eſt epiſtola, quam dedit ad Nicolaum Papam: caritatem, & cognatas caritati virtutes, pacem, manſuetudinem, patientiam ſpirat tota; ſed imprimis caritatem: ſimul epiſtolam, ſimul elogium caritatis orditur his verbis. "Caritate nihil venerabilius, nec pre-
,, tioſius...... Per eam enim ſeparata conjungun-
,, tur, & pacificantur pugnantia, & juncta, do-
,, meſticaque magis conſociantur, ſeditionibus,
,, contentionibusque aditum non præbentia.
,, Ipſa enim non cogitat malum: ſed omnia ſuf-
,, fert, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, nec un-
,, quam (juxta bonum Paulum) excidit. Ipſa
,, & famulos, qui offenderunt, Dominis reconciliat

[a] *Vide Præfat. ad Synod. VIII.*

Digitized by Google

ciliat....... & patrum in filios iracundiam miti- "
gat....... & amicis rixam incidentem facilè re- "
pellit........ Hæc & nostræ mediocritati persua- "
sit, non graviter objurgationes ferre, quæ à "
vestrâ paternâ Sanctitate jaculorum instar e- "
missæ sunt; ac fecit, ut arbitrarer perturbati a- "
nimi hos fœtus non esse, nec mentis offensio- "
num, & inimicitiarum cupidę verba; sed potiùs "
affectus veri, ac nihil fingentis. " Hoc ille sty- "
lo pertexit cætera: ipsâ dictante caritate exaratam epistolam censeas. Invitus, & coactus Constantinopolitanæ Ecclesiæ thronum ascendit, dejecto Ignatio, invitus omninò thronum tenet: non ascendisset, non teneret, nisi jubente caritate, providens infestorum ventorum procellas sæviores fore: alioqui restiturus usq; ad ipsā mortem. Hęc protestatur cum lacrymis, memoriam repetens præteriti temporis, quo plenâ pace, & quiete fruebatur, carus omnibus, omnium amans, vel solâ sui famâ ignotos quoque ad divinum amorem trahens. Alia permulta hujus generis. Epistolam inchoat caritas, pertexit caritas, finit caritas; sed caritas larvata hominis schismatici, & hæretici, Rom. Pontificum hostis implacabilis, & crudelis belluæ. De quo Nicetas paucis, & aptè. "Primo die ex laico Monachus, secundo "
efficitur anagnostes, tertio subdiaconus, quar- "
to diaconus, quinto presbyter, sexto denique "
Patriarcha, Sedem Patriarchalem conscendens "
altâ

Digitized by Google

„ altâ voce populo pacem annuntiavit, nihil pa-
„ ce dignum cogitans."

Hæreticam artem simulandę caritatis æquè callebat Constātinopolitanus Patriarcha Paulus Monothelitarum Coryphæus. Acres à Theodoro Papâ litteras acceperat,[a] & fidei formam quandam, junctâ anathematis sententiâ; nisi acquiesceret. Quid ipse autem? Satis Orthodoxum speravit se visum iri, si caritatem mentiretur satis solerter. Epistolam dedit responsoriam, quâ sibi Magisterium usurpat, non fidei solùm, sed & caritatis. Exordium epistolæ; *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*:[b] hunc locū amplificat: tum verò, "Hujus, inquit, pro-
„ pheticæ vaticinationis meritum amplectentes,
„ præsentes fraternas syllabas exposuimus, no-
„ stra propter caritatem minimè quærentes,
„ aut quæsituri: nec enim detrahentibus bonum
„ est detrahere, aut palo excutere palum; absit:
„ non sunt nostra hæc: avertat Divinitas: non
„ sunt edocti habitus nostri ita vincere; sed in
„ patientiâ longanimitatis, & spiritu humi-
„ litatis .... propter hoc enim & verborum
„ supportavimus colaphos, ut vel paulatim
„ valeamus eum imitari, qui propter nos se hu-
„ miliare dignatus est. .... Omnia à vobis in
caritate fiant.[c] Ergo sive quærimus, sive tan-
„ tummodo dicimus, & tantummodo audimus,
„ caritas intercedat." Aliter, aliterque Pōtificem
commo-

[a] Baron. an. 646 n. 21.

[b] Psalm. 132.

[c] 1. Cor. 16.

commonefacit caritatis, *omnia ad caritatem dirigenda* prædicat, caritatem ſuam commondat, & caritatis comites modeſtiam, tolerantiam, pacem. Tum verò & doctrinam fidei aggreſſus infercit mendacia impudentiſſimè, fœdamque prodit hæretici animi contumaciam. Sed Epiſtolam concludit invocans *pacis Dominum Deum, unitatis, & dilectionis conſervatorem.* Hæc præproperus caritatis Magiſter, cui deerat neceſſarium caritati fundamentum, recta fides.

Sed verò caritatem nobis omni expurgatam ſcoriâ exhibuiſſe dicas Hæreticos Begardos. Caſtiſſimam decet eſſe caritatem, ac ſolâ motam Dei Bonitate: infinitus eſt Deus, & infinitè amandus, omnem poſtulans, & abſorbens amorem noſtrum: ſi Deũ habes, nullo alio indiges, & in Deo habes omnia: veriſſima Chriſtianæ Philoſophiæ axiomata. Sed illis hypocritæ impuriſſimi uſque adeo ſunt abuſi, ut ſuſpectam habuerint Venerationem Sacratiſſimæ Humanitatis, & Paſſionis Chriſti. Errorem Begardorum hunc recenſet, damnatque Clemens Papa V. [a] "Quod in elevatione corporis JESU Chriſti non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere, aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantùm deſcenderent, quod circa miniſterium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa Paſſionem

[a] *Clemẽt.* ad noſtrũ *de Hæretic.*

„ ſionem Humanitatis Chriſti aliqua cogita-
„ rent.“ In ſolâ videlicet Divinitate mentem fi-
„ gentes puriùs contemplabantur, & amabant:
„ metuebant verò, ne quid creatæ fœcis aſper-
„ gerent Humanitas, & Paſſio Chriſti; nec du-
„ bitari poteſt, quin periculum ſimile viderint
„ in cultu Sanctiſſimæ Dei Matris, & Sancto-
rum. Scrupulum Diabolicum egregiè exagi-
tavit Alvarus Pelagius ex Minorum Ordine
Silvenſis Epiſcopus, [a] oſtendens, non ſolùm
non eſſe periculum, "ne deſcendatur à perfe-
„ ctâ contemplatione adorando carnem illam
„ de carne MARIÆ acceptam, & unitam in-
„ ſeparabiliter Verbo; ſed & certiſſimo nos aſ-
„ cendere, illum Deum hominem piiſſimum
„ contemplando; nihil enim ſic hominem ad
„ Deum trahere, ut Dei hominis contempla-
„ tionem.“

a Lib. de Planctu Eccl. tit. 2.

Etiamne caritatem ructare audeat ſentina ſpurciſſima vitiorum omnium Martinus Lutherus? Nemo Hæreticorum confidentius. Simul Catholicæ fidei bellum indixit, ſimul Pœnitentiam ad unam caritatis amuſſim exegit in eo ſermone de Pœnitentiâ, quem ſuo Anathemate perculit Trid. Concilium.[b] Accipe Doctorem caritatis: "Contritio (ſic e-
„ nim cœpit vocari vera pœnitentia interior)
„ duplici via paratur. Primò per diſcuſſionem,
„ collectionem, deteſtationem peccatorum,
„ quâ quis, ut dicunt, recogitat annos ſuos in
amari-

b Seſſ. 14. can. 5. de Pœnit.

amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionẽ, & alia, quæ possunt tristitiam & dolorem excitare. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem: quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit: & tales omnes indignè absolvuntur & communicantur.... Et hæc est illa contritio, quam ipsi vocant extra caritatem non meritoriam: alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem: sic enim ipsi opinantur: quam opinionem errorem ego judico. Secundò paratur per intuitum, & contemplationem speciosissimæ justitiæ, quâ quis in pulchritudine, & specie justitiæ meditatus, in eam ardescit, & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator sapientiæ, cujus pulchritudinem viderat. Hæc facit verè pœnitentem, quia amore justitiæ id facit, & hi sunt digni absolutione.....Amor est vinculũ perpetuum; quia voluntarium: odium temporale; quia violentum. Igitur persuade homini primùm, ut diligat justitiam, & sine magisterio tuo conteretur de peccato: diligat Christum, & statim sui prodigus odiet se ipsum, &c."

Profecit animi hæretici spuria caritas in iis commentariis, quos in Epistolam ad Galatas scripsit bene prolixos: tractationem contin-

nent

nent de caritate perpetuam: caritatem inflat usque eò, ut disrumpat: compendium hoc est: Nulla virtus nisi caritas, [a] nulla lex nisi caritatis. Ita serviendum est legibus Imperialibus, Pontificiis municipalibus, solùm ne eos scandalizemus, & caritatem & pacem lædamus: [b] excurrit deinde in tyrannidem legum humanarum præcipuè Pontificiarum: atque impostoris hæretici caritas omninò degenerat in odium legum; " Neque enim, inquit, meo judicio caritati aliud potest perniciosius oriri, quàm legum, & traditionum copia. "

Quid ille non auderet duce caritate istâ suâ? Christi Vicarium Pontificem Romanum, simul Episcopos omnes exautoravit hoc argumento. [c] " Christus non imponit pasturam Petro, nisi prius diligat. Obsecro te quid hoc est? Nonne sequitur, quod, si non diligat, non sit audiendus? At quis nos certos faciet de amore pastoris? Dubitamus ergo, quemnam audiamus. Nam si audire nobis pastorem necesse est, etiam illi amare Christum necesse. ...... Igitur hoc efficimus, quod istâ autoritate nihil probatur, nec valet ad probandum Primatum. Si autem aliquid valet, nunc hoc urgebit, non esse Episcopum in Ecclesiâ, qui non doceat, nec docere aliquem debere, nisi diligat. " Huc planè tendit buccinata ab Hæreticis caritas, ut jugum omne excutiant, præcipuè Ecclesiasticum, & *Episcopum Apostolicum,*

[a] *Itidem lib. resol. contra conclus. Eccian. concl. 2.*

[b] *In Epist. ad Gal c. 5.*

[c] *Lib. resol. de Potest. Papæ p. 308 edit. Basil. 1520.*

licum, cui obedire debeant, eum ſolum agnoſcant, quem ipſi ſtatuerint ſpiritu caritatis Apoſtolico præditum eſſe, reliquos verò, ut profanos, atque Aulicos riſum populi faciant.

Non verbis ſolùm, ſed & rebus mentiri caritatem familiare pridem fuit Hæreticis. Julianum Pelagianæ perfidiæ, & ſimulationis hæredem Gennadius memorat, [a] "Eleëmoſynis tempore famis, & anguſtiæ, indigentibus omnibus, ſuis erogatis, multos miſerationis ſpecie Nobilium præcipuè, & Religioſorum illicientem hæreſi ſuæ ſociaſſe."

[a] *In Catal. vir. Illuſt. c. 45.*

Genus hoc fraudulentæ caritatis, quâ tument Hæretici, exoſum Catechumenis olim fecit S. Auguſtinus. [b] "Hæreticus, inquit, Arianus non inſultet Eccleſiæ, lupus eſt, agnoſcite: ſerpens eſt, ejus capita conquaſſate: blanditur, ſed fallit: multa promittit, ſed decipit: venite, inquit, defendam: ſi neceſſitas eſt, paſcam: ſi nuditas, veſtiam: dabo pecuniam: ſtatuam, quid per ſingulos dies quiſque accipiat. O lupe male! ô ſerpens inique! ô ſerve nequiſſime! .... Ergone, Hæretice, veſtis nudum, ut expolies intus Chriſto veſtitum? Ad hoc paſcis eſurientem, ut animæ auferas cibum cœleſtem? Ad hoc das pecuniam, ut ſic tibi iſti vendant Chriſtum rebaptizandũ, quemadmodum Judas Judæis Chriſtum crucifigendum? *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.*"

[b] *Lib. 2. de Symb. ad Catechũ. c. 13.*

Tu

Tu quoque, Christiane Lector, si quis tibi insidietur, quem scias, meritòve suspiceris damnati ab Ecclesia dogmatis Patronum, mentitæ ne crede caritati, etsi tibi usque, & usque caritatem ingeminet, impendatve: Caritatem Dei teste Gregorio,[a] & proximi deserit, qui & de Deo falsa sentit, & à proximo jurgando dividitur, & monente Augustino: *Lupus est, agnoscite, serpens est, ejus capita conquassate: blanditur, sed fallit: ad hoc vestit nudum, ut expoliet intus Christo vestitum: ad hoc pascit esurientem, ut animæ auferat cibum cœlestem.*

a *In cap. 30. Iob. cap. 9.*

FRAUS III.

Linguam, stylum, mores aptare blanditiis, & adulationi.

PRima Hæreticis semper cura fuit aucupari eas omnes illecebras sermonis, præcipuè vernaculi, quibus capi vulgus solet. Hic ille est memoratus à Jeremiâ Prophetâ.[b] *Calix aureus Babylon*, si credimus Origeni.[c] "Nabuchodonosor, inquit, volens decipere homines per calicem Babylonis dolosum, non „ miscuit in vase fictili, quod parabat potari; „ sed neque in paulò meliore, & æreo vase, vel „ stanneo

b *c. 51.*

c *Hom. 2. in Ier.*

ſtanneo, & quod iſta præcellit argenteo: ve- «
rùm eligens vas aureum, in eo poculum tem- «
peravit, ut quis videns decorem auri, dum «
radiantis metalli pulchritudine delectatur, & «
totus oculis hæret in ſpecie, non conſideret, «
quid intrinſecus latitet, & accipiens calicem «
bibat, neſciens calicem Nabuchodonoſor: «
intelligens autem calicem aureum in præſenti «
nominatum. Sed animadvertens peſſimorum «
dogmatum verba mortifera, qualem habeant «
compoſitionem, qualem decorem eloquen- «
tiæ, qualem rerum diviſionem........... meus «
JESUS contrà fecit, ſciens aureum calicem za- «
buli, & præcavens, ne aliquis ad fidem ſuam «
veniens ſuſpicaretur, etiam Chriſti talem «
eſſe calicem, qualem eſſe requirat, & per ſi- «
militudinem materiæ formidaret errorem: «
ideo curavit, ut haberemus theſaurum iſtum «
in vaſis fictilibus. Sæpe vidi aureum calicem «
in pulchro ſermonis ornatu, & dogmatum ve- «
nena conſiderans, deprehendi calicem Ba- «
bylonis.« «

Hæc illa eſt meretrix, Hieronymi judicio, [a] de quâ in Proverbiis. *Ne attendas fallaciæ mulieris: favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: noviſſima autem illius amara, quaſi abſinthium, & lingua acuta, quaſi gladius biceps.* Ad hunc locum Hieronymus, "Cùm, inquit, in ore Hæreticorum dulcedo eloquentiæ, non ad ſufficientiam ſolum- «
modo,

[a] *Lib. I. Comm. in Prov. cap. 5.*



Digitized by Google

,, modo, verùm etiam ad superfluitatem resonat,
,, ob id falsitas, quia aptè proferri cernitur, ve-
,, ritas à stultis æstimatur." Noxias cantu suo Si-
renas interptetetur; [a] "Lugebunt, inquit, quasi
,, filiæ Sirenarum: dulcia enim sunt Hæretico-
,, rum carmina, & suavi voce populos decipien-
,, tia: nec potest eorum cantica præterire, nisi
,, qui obturaverit aurem suam, & quasi surdus
,, evaserit." His similes sunt magnorum Patrum Athanasii, [b] Leonis, [c] Gregorii [d], & ferè cæterorum cautiones.

Fraudis exempla sunt plurima: libemus quædam. De Priscilliano Hæresiarchâ sic nos docuit Severus, [e] "Priscillianus familiâ nobilis, prędives opibus, acer, inquies, facundus, multâ lectione eruditus, differendi, ac disputandi promptissimus...... Is ubi doctrinam exitiabi-
,, lem aggressus est, multos nobilium, pluresque populares autoritate persuadendi, & arte
,, blandiendi allicuit in societatem."

De Ario Hæresiarchâ veteres prodiderunt, fuisse non linguâ solùm, & stylo; sed & totius corporis, morumque conformatione factum ad omne genus lenocinii, capiendis simplicium animis idonei. Epiphanius quidem sic adnotavit: [f] "Fuit Arius proceriore staturâ,
,, tristi oris specie, totâque corporis configura-
,, tione subdoli serpentis instar, ad fraudem &
,, fallaciam compositâ: ita ut callido illo exter-
,, noque habitu facilè simplicioribus animis obre-

[a] Comm. in Micheam cap. 1.
[b] In vita S. Antō.
[c] Ep. 93. ad Turib c. 15.
[d] Lib. 3. in Iob. c. 14. c 15 & alibi.
[e] Hist. lib. 2
[f] Hæres. 69.

Digitized by Google

obreperet. Nam hemiphorium, & colobium " indutus in colloquiis ac ſalutationibus blandus " erat imprimis, atque omnium animos adula- " tionum illecebris devinctos tenebat." "

Hæc ipſa majori quadam luce donavit egregius Arianæ hiſtoriæ Scriptor Maimbourgius, [a] "Adhibuit Arius, inquit, quidquid à naturâ, & arte habebat præſidii ad expugnan- " dos animos: conſtat enim potenti quadam " dexteritate inſinuandi ſeſe in animos homi- " num, præditum fuiſſe. Vir erat ſtaturâ corpo- " ris procerâ, corporis verò ſtatu, motuque gra- " vi, & ſerio. Reſidebat in ipſo vultu ſpecimen " quoddam ſeveritatis, quo aſpicientibus mag- " næ illico virtutis, vitæque auſteræ opinionem " ingereret. Attamen ſeveritas erat ejuſmodi, " quæ accedentes minimè abſterreret: leniebatur enim delicato quodam, ac ſubtili ductu o- " ris, corporiſque totius, unde emicaret quid- " dam mirificè afficiens, & neſcio quæ vis ca- " piendi, atque abducendi animos, adverſus " quam haud eſſet facile ſe defendere. Ingredie- " batur veſtitu modeſto, ſed apto, nitidoque, " ejus generis, quo utebantur litterati homines: " primis congreſſionibus tam ſe ferebat urbanũ, " tamque exquiſitè ſalutabat, ut facilè quemque " ſibi devinciret, qui ſe conveniret. Denique ſe- " rius ille membrorum omnium, & actionum " modus, ipſaque oris forma ad ſeveritatem, " morumque reformationem compoſita non "

[a] Hiſtoire de l'Arianiſme lib 1.

„ impediebat artem admirabilem, quâ pollebat,
„ serenandi frontem, blandiendi, atque adulan-
„ di modo quodam subtili ac delicato, si quem
„ suis imbuendum sensibus, sibique adjungen-
„ dum delegerat."

Blandiendi artem omnem consumpsit in eo libro, quem Thaliam inscripsit, *cujus libri stylus*, ut ait Sozomenus, [a] *ita dissolutus erat, ut præ mollitie, quâ diffluebat, sotadicis cantibus similis videretur*; unde & *fucatum*, & *sotadicum Arium* appellavit Athanasius [b]: Sotadæ enim Cretensis Poëtæ metro mollissimo illigaverat suas in Deum blasphemias, quò placerent Alexandrinis fœminis, urbanoque, & otioso hominum generi.

a *Lib. 1. Cap. 20.*

b *Orat. 2. cōtra Arian.*

Callebat artem eandem Nestorius, Theodoreto teste: [c] "Antiochiæ, inquit, cum libe-
„ ralibus disciplinis mediocriter esset imbutus,
„ vocemque pulcherrimam, & maximam exer-
„ cuisset, in Ecclesiam Dei se ingessit, & in nu-
„ merum Presbyterorum relatus est, docendiq;
„ populi munere imposito, statim in exordio
„ ostendit, qualis totâ vitâ esset futurus. Neque
„ enim generosum, & genitalem, quique homi-
„ num animas excolere posset, dicendi chara-
„ cterem secutus est: sed cum ad populi delecta-
„ tionem orationem suam conferret, & inanes
„ plausus, ut qui maximè, aucuparetur, turbu-
„ lentum, & instabile vulgus ad sui desiderium
„ excitavit."

c *Hæret. fabul. lib. 4. c. 12.*

Non

Digitized by Google

Non vulgus tantùm, ſed & Imperatorem Theodoſium, fucato iſto genere dicendi cepit[a] uſque adeò, ut Siſinnio eum ſuffecerit Patriarcham Conſtantinopolitanum, hominem advenam, poſthabitis Philippo, & Proclo, quos plures magno ſtudio depoſcebant: hinc illa malorum ſeries Eccleſiæ ſubſecuta.[b]

Nihilo ſegnius blandiri doctus erat Hæreſiarcha Pelagius. Etiam Auguſtino inſidiatus eſt plenâ blanditiis, atque adulatione ſcriptâ epiſtolâ.[c] Sed vafro inſidiatori ita reſpondit Auguſtinus, ut illum impietatis ſuæ haud obſcurè coargueret: "Petivi, inquit, ab eo, ut pro me oraret, quò potius à Domino talis fierem, " qualem me eſſe jam crederet, ut eum ſic mo- " nerem, contra quod ille ſapiebat, ipſam quo- " que juſtitiam, quam in me laudandam puta- " verat, *non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.*"

Epiſtolam affectatione Tulliani ſtyli, & adulatione putentem ſcripſerat Pelagius cuidam Viduæ: reprehenſorem ſenſit Hieronymum:[d] "Adulans viduę non erubeſcis dicere; " pietatem, quæ nuſquam reperitur in terrâ, & " veritatem, quæ ubique peregrina ſit, in illâ po- " tiſſimum reperiri........ Docere eſt hoc, an oc- " cidere? levare de terrâ, an præcipitare de Cœ- " lo; id mulierculæ tribuere, quod Angeli non " audeant uſurpare?...... Quæ duo capitula ora- " tionis, & laudis ſoles cum tuis jurare diſcipulis "

a *Baron. an. 428. n. 19.*

b *Ibid. an. 429. n. 34.*

c *Aug. de geſtis Pelagii cap. 26.*

d *Lib. 3. cōtra Pelag: prope finem;*

Digitized by Google

„ pulis, non esse tua; cum perspicuè in eis styli tui
„ splendor eluceat, & tanta sit venustas eloquii
„ Tulliani, ut testudineo incedens gradu, quæ
„ secretò doces, mittisque venalia, publicè non
„ audeas profiteri."

Non faciunt hæc, quò minus probabilis, si non certa opinio, visa sit Garnerio, [a] infantiâ sermonis latini laborasse Pelagium, ejusque barbariem Britannicam fuisse adjutam politicorum hominum Cælestii, Anniani, & Juliani litteraturâ latinâ; undè & Pelagium Hieronymus miserum vocaverit; [b] qui ne suis quidẽ verbis calumniari posset. Usque adeo blandi, comptique videri amant Hæretici, ut si hoc ipsum natura, aut exercitatio non dederit, aliunde mutuare non erubescant.

[a] *Appẽd. 2. ad 1. part. oper. Mercat. dissert. 1*
[b] *Præfat. in lib. 4. Comm. in Hierẽ.*

Prætervolemus multa, & citeriorum nobis temporum Hæreticos è multis paucos videamus. Petri quidem Abailardi S. Bernardus breve elogium posuit: [c] *Homo est egrediẽs mensuram suam, in sapientia verbi evacuans virtutem crucis Christi.* Pluribus depingit Hæreticum scribens ad Innocentium Papam. [d] Ad rem nostram facit, quod ait, ejus *volare libros, urbibus, & castellis ingeri pro luce tenebras, pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinari.*

[c] *Epist. 193.*
[d] *Epist. 189.*

Magistro similem exhibet Hæreticum Arnaldum: [e] "Cujus, inquit, dentes, arma, &
„ sagittæ, & lingua ejus gladius acutus. Molliti

[e] *Epist. 195.*

sunt

Digitized by Google

ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi "
ſunt jacula. Unde & ſolet ſibi allicere blandis "
ſermonibus, & ſimulatione virtutum divites, "
& potentes. [a] Cujus converſatio mel, & do- "
ctrina venenum: cui caput columbæ, cauda "
ſcorpionis eſt, quem Brixia evomuit, Roma "
exhorruit, Francia repulit." "

[a] Ep. 190.

His conſentaneè Otho Friſingenſis illius ætatis ſcriptor ait? [b] "Arnaldum ſub ovinâ pelle lupum Urbem ingreſſum rudis populi animos præmolli dogmate accendiſſe ad ſeditionem plus tamen verborum profluvio, quàm ſententiarum pondere copioſum."

[b] Lib. 2. de geſtis Fred. Imp. c. 20.

Congruit his Guntheri Ligurini ejuſdem ætatis Poëtæ carmen ad memoriam Arnaldi Hæretici inſigne, ex quo huc pertinent hæc pauca:

Tandem natalibus oris
Redditus, aſſumptâ Sapientis fronte, diſerto
Fallebat ſermone rudes, Clerumque procaci
Inſectans odio, Monachorum acerrimus hoſtis,
Plebis adulator, gaudens popularibus auris,
Pontifices, ipſumque gravi corrodere linguâ
Audebat Papam.

Quid ego longior hic ſim? Ne Lutherus quidem, etſi eſſet naturâ mordaciſſimus, rudis

dis erat artis adulatoriæ; pariter & ferocere, & blandiri promptus, ut ſe dabant res. Extant ejus epiſtolæ ad Leonem Papam, ad Cajetanum Cardinalem, ad Epiſcopos varios, ad Carolum Imperatorem, ad Henricum Angliæ Regem, ad Georgium Saxoniæ Ducem, ad alios, exquiſitiſſimis adulationibus, & blanditiis refertæ: Imperatorem quidem prenſat ridiculè ſic exordiens [a] "gratiam, & pacem à " D. N. JESU-Chriſto. Quod ego Majeſtatem " tuam, optime Carole, audeo litteris adire, " nemo non optimo jure mirabitur. Quid enim " inſolentius videri poterit, quàm Regem Re-" gum & Dominum Dominantium in terris à " vili & infimę ſortis homuncione compellari?" Ingenioſius ad Leonem maledicentiam blanditiis temperat, ſimul Pontificem palpans, ſimul Apoſtolicam Sedem, & Romanam Curiam proſcindens. [b] "Tu Leo, inquit, ſicut ag-" nus in medio luporum ſedes, ſicut Daniel in " medio leonum, & cum Ezechiele inter ſcor-" piones habitas." Hujus ſtyli ſunt cætera.

[a] *Epiſt. data 20. Ian. 1520*

[b] *data 6. April. 1520*

Tu, Lector, Hæreticos time blandientes: quod enim in Novatum Hæreticum ſcripſit Martyr Cyprianus, [c] in omnes convenit. *Curioſi ſemper, ut prodant, ad hoc adulantur, ut fallant, nunquam fideles, ut diligant.* Atque ut Magnus Gregorius obſervat: [d] "Hi qui Hęre-" ticorum ſpeciem tenent, loqui molliter in-" choant, dicentes; *Si cœperimus loqui tibi, forſitan*

[c] *Epiſt. 49.*

[d] *In 3. cap. Iob c. 11.*

sitan molestè feres: exasperare quippe audito- "
res suos in exordio locutionis suæ metuunt; "
ne vigilantor audiantur, eorumque valde tri- "
stitiam declinant, ut negligentiam capiant: & "
planè semper blanda sunt, quæ proponunt, sed "
aspera, quæ prosequendo subinferunt." "

FRAUS IV.

Dogmata sua docere clam, ut mysteria arcana.

HÆreticos Doctores sic facit loquentes Vincentius Lirinensis.[a] "Venite, ô insipientes, & miseri, qui vulgò Catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante sæculis latuit, nuper verò revelata & ostensa est: sed discite furtim atque secretim: delectabit enim vos. Cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Ecclesia sciat: paucis namque concessum est tanti mysterii capere secretum." Prorsus illi amant clam docere, quæ habent maximè perniciosa; Unde & Hieronymus,[b] & Augustinus,[c] & Gregorius,[d] & Vincentius Lirinensis,[e] & fere cœteri Patres, Hæreticorum fraudem contemplantur in eâ mu-

a *Commonit. c. 26.*

b *In c. 9. Prov.*

c *Tract. 97. in Ioan.*

d *In c. 33. Iob c. 17. itē in c. 30. Iob. c. 12.* e *Cōmon. c. 26.*

Digitized by Google

muliere, quàm his nobis coloribus Salomon depinxit; [a] *Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris*, ET NIHIL OMNINO SCIENS, *sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Qui est parvulus declinet ad me, & vecordi locuta est*: AQUÆ FURTIVÆ DULCIORES SUNT, *& panis absconditus suavior*.

[a] *Prov. 9.*

Molestissimè habuit Augustinum pariter, & Hieronymum ars illa clancularia Pelagio familiaris. "Cœpit, inquit Augustinus, [b] ad „ nos fama perferri, quod adversus Dei gratiam „ disputaret, quod licet dolerem, & ab eis mi„ hi diceretur, quibus crederem, ab ipso tamen „ aliquid, vel in ejus aliquo libro, nosse cupie„ bam, ut si inciperem redarguere, negare non „ posset." Impatientius verò Hieronymus. [c] "Necdum scripsi, inquit, & comminaris mi„ hi rescriptorum tuorum fulmina. .... Et non „ animadvertens idcirco nos scribere, ut vos „ respondere cogamini, & apertè aliquando di„ cere, quod pro tempore, personis, & locis, vel „ loquimini, vel tacetis. Nolo vobis liberum „ esse negare, quod semel scripseritis. Eccle„ siæ victoria est, vos apertè dicere, quod sen„ titis. .... Sola hæc hæresis est, quæ publicè „ erubescit loqui, quod secretò docere non me„ tuit. Magistrorum silentia profert rabies dis„ cipulorum: quod audierunt in cubiculis, in „ tectis prædicant: ut si placuerit Auditoribus,

[b] *De gest. Pelag. c. 22.*

[c] *Ad Ctesiphont.*

quod

quod dixerint, referatur ad gloriam Magistro- "
rum; si displicuerit, culpa sit discipuli, non "
Magistri: ideò crevit vestra hæresis, & dece- "
pistis plurimos .... quia semper docetis, "
semper negatis.......... Nullius in hoc opusculo "
nomen propriè tangitur; adversus Magistrum "
perversi dogmatis locuti sumus: qui si iratus "
fuerit, atque rescripserit, suo quasi mus pro- "
detur indicio." Pluribus exagitat latentem hostem, ut prosiliat in medium, minus nociturus jam notus artifex.

Non solum ipsi cavent Doctores hæretici; ne quis malus audiat, sciatve docuisse; sed & discipulis sedulò inculcant, quod à Vincentio audivimus; *Discite furtim, & cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Ecclesia sciat.* Neque, quod Augustinus, [a] Priscillianistas habuisse in suis dogmatibus, *Iura, perjura, secretum prodere noli*, soli habuere Priscillianistæ: ejusdem impietatis reos agit Henricianos Hæreticos S. Bernardus, quibus alioqui religio erat jurare alibi: ipsum audiamus: [b] "Quid faciemus, inquit, his ma- "
lignissimis vulpibus, ut capi queant, quæ "
nocere, quàm vincere malunt, & ne apparere "
quidem volunt, sed serpere........ Denique "
indixere (ut dicitur) latebras sibi, firmave- "
runt sibi sermonem nequam; *jura, perjura, se-* "
cretum prodere noli. Enimverò aliàs ne tenuiter "
quidem jurare ullatenus acquiescunt propter "
illud

[a] *Lib. de Hæresi. cap. 70.*

[b] *Serm. 65. in Cãtic.*

Digitized by Google

„ illud de Evangelio; *Non jurare, neque per cœ-*
„ *lum, neque per terram.* O stulti, & tardi
„ corde!"

Paria de Calvini discipulis prodidit Florim.
Remundus in hęc verba,[a] "Antequã discedant,
„ omnes jusjurandum dant, se religionis hoc
„ suæ secretum nemini aperturos, veterum Hæ-
„ reticorum exemplo, apud quos illud usitatum
„ erat, *jura, perjura, secretum prodere noli.*"

a *Lib. 7. c. 15.*

Quoniam verò notior vulgò est, hæc fraus Hæreticorum generatim spectata, quàm ut pluribus sit opus exemplis, aliò me conferam, si adnotavero artis usum ipsum præcipuum, maximèque perniciosum esse apud eos Hæreticos, qui quod ad externos ritus attinet, quàm minimo discrepant à germanis Catholicæ Ecclesiæ filiis. Calvino quidem clam proseminare errorem non diu licuit; cum & Sacrificium Missæ, & quidquid est externorum rituum maximè sacrorum, abolere meditaretur. Quamquam & arte clanculariâ est usus, quoad licuit. [b] Sed illis potissimum Hæreticis ars hæc est facilis in multos annos, quorum perfidia intra speculationem ferè continetur, & modicâ inflexione sermonis orthodoxi exprimitur, ita ut facilè fugiat incautos.

b *Florim. Remũd, lib. 7. c. 10. cap. 15.*

Jam olim hæc observavit S. Ambrosius contra Arianos scribens, [c] unum *substantiæ* nomen de Symbolo fidei tollentes; cætera orthodoxos: "Multas quidem, inquit, & graves

c *Lib. de Orthod. fide contra Arianos c. 1*

hæreses

hæreſes novimus à pluribus ebullire,& veneni "
vice ad intimum pectus canceris ſui virus in- "
fundere. Sed vinci illi, vel facilè poſſunt, vel "
facilè vitari,quorum primâ propoſitione om- "
ne conſilium pectoris proditur. At verò hi, "
quibus multa nobiſcum paria ſunt, facilè poſ- "
ſunt innoxias mentes, & ſoli Deo deditas, "
fraudulentâ ſocietate percutere, dum malo- "
rum ſuorum virus per bona noſtra defendunt: "
nihil enim periculoſius his Hæreticis eſſe po- "
teſt, quàm qui cum integrè per omnia decur- "
rant; uno tamen verbo, ac ſi veneni guttâ, "
meram illam ac ſimplicem fidem Dominicæ, "
& exinde Apoſtolicæ traditionis inficiant. "
Unde vehementer nobis cavendum eſt, ne ſe, "
vel ſenſibus, vel auribus noſtris hujuſmodi "
aliquid latenter inſinuet: quia nihil tam cogit "
in mortem, quàm ſub obtentu fidei fidem "
violare: ut enim gypſum aquâ permixtum lac "
colore mentitur, ita hìc per veriſimilem con- "
feſſionem traditio inimica ſuggeritur. Quâ de "
re non ſimilitudo cõfeſſionis; ſed ſenſus men- "
tis eſt ponderandus, quo confeſſio ipſa firma- "
tur." Hactenus Ambroſius. Tanti Patris ſoli-
citudo cautos nos reddat.

FRAUS

Digitized by Google

FRAUS V.

Celebrare Conventicula.

MOs hic est Hæreticorum perantiquus SS.Patribus detestatus pariter, & deridiculo habitus.S.Basilius appellat.[a] *Illegitimos conventus, congregationes rebellium Presbyterorum, &c.* S. Ambrosius [b] *foveas vulpium* indigitat. S.Hieronymus [c] *Cubilia ferarum*, [d] & *Orgia bacchantium*, & *speluncas latronum.*

S.Hieronymum aliquantò attentius audire juvet. Conventiculis Hęreticorum accommodat locum Osee Prophetæ. [e] *Væ eis, quoniam recesserunt à me .... Ipsi locuti sunt contra me mendacium, non clamaverunt ad me corda eorum; sed ululabant in* CUBILIBUS suis. Ad hunc locum ille. "Super Hæreticis, inquit, facilis interpretatio est, quod væ habent sempiternum, qui recesserunt à Deo........ Et ipsi loquuntur contra eum mendacia impia falsitatis dogmata componentes, & non clamant in cordibus suis, sed ululant semper in Conciliabulis: quæ pulchrè (Propheta) cubilia appellat, & ferarum lustra......... Quidquid loquuntur, ululatus luporum est." Hæc ipsa majori impetu S. Cyprianus dedit contra Novatianum scribens. [f] "Videte canes, inquit. videte

[a] *Ep. ad Amphil.*
[b] *In Luc. l.7.c.9.*
[c] *In cap. 7. Osee.*
[d] *In Habac.c.2.*
[e] *Cap.7.*
[f] *Lib. cōtra Novatian.*

Digitized by Google

videte malos operarios. Rabiem suam (Novatianus) non cessat latratibus excitare: luporum more tenebrosam caliginem aptare, quâ facile possit ferinâ suâ crudelitate oves à Pastore direptas, speluncâ tenebrosâ laniare."

Speluncis iisdem S. Hieronymus infensum exhibet Habacuc Prophetam. [a] *Væ qui propinat proximo suo subversione turbidâ, & inebriãs, ut aspiciat in speluncis eorum.* Ad quem locum, "Ecclesiæ, inquit, dogmata libera sunt: die gratulantur & lumine. Qui autem inebriantur, nocte inebriantur; &, qui eos inebriant, non ducunt in atria Domini, quæ nullâ tectorum premuntur umbrâ: sed *in speluncas.* Fecerunt enim domum Patris, quę fuerat domus orationis, *speluncas latronum*, pollicentes initiationes quasdam, & mysteria, & recondita, solumque Hæreticis nota secreta, de quibus loquitur & Isaias; & manu facta omnia abscondent, inferentes in speluncas, & in scissuras petrarum, & foramina terræ." Paucis, sed nervosè Augustinus ad illud Psalmi: *Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt*: [b] "Ubi, inquit, nisi in Conventiculis suis, ubi parvulos, & interioris lucis ignaros, non lacte nutriunt, sed venenis enecant?"

a Cap. 2.

b Enarrat. in Psal. 10.

His *conciliabulis*, his *speluncis*, his *cubilibus*, & *lustris ferarum*, hoc est impiis Hæreticorum conventiculis, Gregorius accommodat illud

ex

ex Jobi libro;[a] *In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ.* Ad quem locum[b] "Quid aliud, inquit, cavernas terræ, quàm „ occultas Hæreticorum prædicationes accipi- „ mus? Sic enim Hæretici inter se *clandestinis* „ *conventiculis* coëunt, ut errori suo reverentiã, „ quam ex ratione non valent, prębeant ex oc- „ cultatione, & infirmis animabus pravitatis „ sermo tantò reverendus appareat, quantò se- „ cretus.......... In cavernis ergo Hæretici habi- „ tant, quia plerumque sermonem suum secre- „ tis prædicationibus occultant, ut, quò se do- „ ctioribus, prudentioribusque non indicant, „ eò ad se vehementius imperitos trahant."

[a] Cap. 30.
[b] In cap. 30. Iob c. 12.

Quoniam verò illæ in suis cavernis feræ, & in speluncis latrones, affectant Apostoli quidam videri, non ferens Bernardus,[c] "ubi, ait, „ Apostolica forma, & vita, quam jactatis? Illi „ clamant, vos susurratis; illi in publico, vos in „ angulo: illi ut nubes volant, vos in tenebris, „ ac subterraneis domibus delitescitis. Quid si- „ mile illis in vobis ostenditur? An quod vobis- „ cum mulierculas, non utique circumducitis; „ sed includitis?" Hæc ille in Henricum Hæreticum, ejusque asseclas.

[c] Serm. 65. in Cãtic.

Non immorabor appellandis nominatim cæteris; qui hâc fraude sunt usi; infinita sit res. Hæretici memorantur, qui artem excoluere tam sedulò, ut à conventiculis ipsis nomen sortiti sint. De hoc Theodoretum audiamus:

Digitized by Google

diamus: [a] "Ariana ſecta, inquit, bipertitò divisa eſt: Alii Ariani appellati ſunt, alii Eunomiani. Ariani autem Eudoxiani quoque vocati ſunt tempore Eudoxii: vanæ enim gloriæ ſerviens, nomen ſuum iis imponere ſtuduit, qui eadem ſentiebant. Iidem autem ipſi etiam Exacionitæ appellantur, vocabulum à loco ſortiti, in quo conventus agere ſolent. Eunomiani verò Aëtiani quoque vocabantur, quod Eunomius Aëtium magiſtrum ſuum appellarit. Iidem & Troglitæ, ſeu Troglodytæ nominantur, ut qui clanculum occultis in domibus conventus ſuos celebrent." De Donatiſtis Optatus ſic adnotavit. [b] "Inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas locum, ubi colligerent, non habebant; ſic ſpeluncam quandam foris à civitate gradibus ſepſerunt, ubi ipſo tempore cõventiculum habere potuiſſent, unde Montenſes appellati ſunt."

[a] Hæret. fabul. lib. 5. c. 3.

[b] Lib. 2. cõtra Parmenian.

Quiddam his affine ſuppeditat recens hiſtoria. Hugonotos appellat Gallia Calvini gregem. Nominis originem Famianus Strada hanc refert. [c] "Solemne eſt Cæſarodunenſibus ad terrendos infantes Hugonem nominare, quem noctu pomæria urbis obequitantem, inque obvios euntem, pulſantemque commemorant. Quum autem Hæretici, quorum complures tunc erant Cæſaroduni, circa ea pomæria nocturnos cœtus agerent, quoniam interdiu non licebat, factum eſt, ut tanquam

[c] De Bello Belgic. Dec. 1. l. 3.

„ quam nocturni lemures, digito monstrarentur pueris, atque ab Hugone Hugonoti per deridiculum vocarentur." Porro de institutis à Calvino conventiculis, atque arte ipsâ ad posteros transmissâ adiri potest Florimund. Remundus.[a]

[a] Hist. de Ortu hæres. l. 7. c. 10. cap. 15.

Nos verò SS. Patrum exemplo detestemur *Conventum malignantium, qui exacuerunt, ut gladium, linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.*[b] Tum verò S. Hieronymi consilio sapientes[c] "Non ingrediamur in speluncas Hæreticorum, nec abscondamur ibi, ubi impius Saul stercora doctrinarum suarum egerere consuevit. Sed magis ascendamus ad speluncam excelsam; ubi & Elias vidit Dominum, & Moyses posteriora ejus ante conspexit, & Esaias de Domino clamitans. *Hic habitavit*, ait, *in speluncâ excelsâ.*

[b] Psal. 63.

[c] In Habac. c. 2.

FRAUS VI.

Fœminas inprimis fascinare, & imbuere suis erroribus.

SPecie virtutis, ac præcipuè caritatis, simulque blanditiis, & lenociniis linguæ, styli, morum, quæ mulier clam circumventa non

non capiatur? Hanc igitur Ecclesiæ partem sequiorem præ cæteris sibi delegere adjungendam plerique Hæretici, atque isto præsidio utendum ad ampliorem stragem.

Compendio locum hunc absolvere possit Hieronymus, hoc genus probri à primis Ecclesiæ historiis deducens ad suam ætatem.[a] "Quid volunt, inquit, miseræ mulierculæ " oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni " vento doctrinæ, semper discentes, & nunquã " ad scientiam veritatis pervenientes, & cæteri " mulierularum socii, prurientes auribus, & " ignorantes, quid audiant, quid loquantur; qui " vetustissimum cœnum, quasi novam suscipiunt temperaturam; qui juxta Ezechielem " liniunt parietem absque temperamento, & superveniente veritatis pluviâ dissipantur. Simon Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, " omnium immunditiarum repertor choros " duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit " mulierem, quæ decipiendos animos præpararet. Apelles Philumenon suarum comitem " habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam " & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, " primùm auro corrupit, deindè hæresi polluit. " Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. " Arius, ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, ut "

[a] Ad Ctesiphontẽ contra Pelag.

Digitized by Google

„ infelices quosque fœtentibus pollueret aquis,
„ Luciliæ opibus adjutus est. In Hispaniâ Aga-
„ pe Elpidium, mulier virum, cæcum cæca du-
„ xit in foveam, successoremque sui Priscillianũ
„ habuit, Zoroastris Magi studiosissimum, &
„ ex Mago Episcopum; cui juncta Galla, non
„ gente, sed nomine, Germanam huc illucque
„ currentem, alterius, & vicinæ hæreseos reli-
„ quit heredem. NUNC QUOQUE *mysterium ini-*
„ *quitatis operatur.*"

Ad hæc paucis adnoto, Agapen illam, quæ Elpidium dicitur in foveam duxisse, non insanisse à se ipsâ, sed à Marco Gnosticorum Apostolo fuisse dementatam: [a] Tum verò ab Elspidio pariter, & Agape institutum fuisse Priscillianum, cui proindè ars fuit quasi hæreditaria pelliciendi in errorem fœminas. Rem his verbis explicat Severus. [b] "Ab his Priscil-

[a] *Severus hist. lib. 2.*

[b] *Hist. lib. 2.*

„ lianus est institutus, familia nobilis, prædives
„ opibus, acer ingenio, facundus, multâ lectio-
„ ne eruditus, disserendi ac disputandi promp-
„ tissimus.......... Multa in eo animi & corporis
„ bona cerneres: vigilare multùm, famem & si-
„ tim ferre poterat habendi minimè cupidus,
„ utendi parcissimus; sed idẽ vanissimus.....Is ubi
„ doctrinam exitiabilem aggressus est, multos
„ nobilium, pluresque populares autoritate
„ persuadendi, & blandiendi allicuit in societa-
„ tem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupi-
„ dæ, fluxâ fide, & ad omnia curioso ingenio,

catervatim

catervatim ad eum confluebant: quippe humilitatis speciem ore & habitu prætendens, honorem sui, & reverentiam cunctis injecerat."

Quid periculi sit passus ab hoc genere Gnosticarum mulierum S. Epiphanius adhuc juvenis, ipse exponit sectę erroribus confutatis.[a] "Verum, inquit, Dei benignitate, ac misericordiâ perniciosas illarum manus effugimus, ac Sanctissimo Deo gratulatorium carmen cecinimus; *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est.*" Addit Episcopos à se commonitos non fuisse inertes grassantis hæresis spectatores, sed octoginta ferè capita, quorum nomina detexerat, exulare jussisse.

[a] *Hæres. 26.*

Præterivit verò Hieronymus Paulum Samosatenum, qui, ut Philastrius prodidit,[b] Zenobiam in Oriente Reginam, insignis prudentiæ fœminam, dementavit, docuitque judaizare. Zenobiam istam S. Athanasius[c] Pauli Samosateni protectricem appellavit, ut non vana sit conjectura, impium Hæresiarcham in priori Concilio Antiocheno tantæ discipulæ favore (cujus Maritus Odenatus eo tempore Orientis Imperium tenebat) condemnationis sententiam evasisse.

[b] *De Hæres. cap. 65.*

[c] *Epist. ad Solit.*

Sed nescio quo pacto sacras Virgines & lubentius, & facilius in casses suos pellexere jam olim Hæretici: pietatis species piis & flexilibus animis, quid mirum, si imponat?

Expertus est Hæresiarcha Arius, qui, ut primum Alexandriæ in celebri conflictatione Presbyterorum coram Alexandro Patriarcha hæreticum animum detexit, nihil moratus est hoc sibi præsidium adjungere. Brevi enim septingentas fere Deo consecratas Virgines ab Ecclesiâ abstractas in unum coëgit, teste Epiphanio. [a] Has inter ille, curas suas solabatur, hæ defessum ex vario certamine suscipiebant, hîc velut in portu quodam commẽtabatur eas tempestates, quas Ecclesiæ suscitatum ibat. [b] Porro virus Arianũ tam altè receperunt illę, ut tenacissimè adhęserit, neque ullâ Doctorum arte discuti, aut Ecclesiastico fulmine dissipari, excutive potuerit.

[a] *Hæresi 69.*

[b] *Maimbourg Hist Arian. lib. 1. ex Epiph.*

Summâ pietate matronam S. Hieronymi discipulam Paulam haud æquè feliciter tentavit Origenista; sed tamen tentavit. Palladium Galatam fuisse haud vana est suspicio: factumque ipsum tacito nomine exponit Hieronymus Paulæ demortuæ scribens Epitaphium. [c] "Tangam ergo breviter, quomodo Hæreticorum cœnosos devitaverit lacus, & eos instar habuerit Ethnicorum. Quidam veterator callidus, atque, ut sibi videbatur, doctus, & sciolus, me nesciente, cœpit ei proponere quęstiones, & dicere: Quid peccavit infans, ut à Dæmone corripiatur? In quâ ætate resurrecturi sumus, &c? Quod cum audisset, & ad me retulisset, indicans hominem, mihique incubuisset

[c] *Epist. 27. ad Eustoc.*

incubuisset necessitas nequissimæ viperæ, ac "
mortiferæ bestiæ resistendi, conveni hominẽ, "
& orationibus ejus, quam decipere nitebatur, "
brevi interrogatione conclusi. .... Ex quo "
die ita cœpit Paula hominem detestari, & om- "
nes, qui ejusdem dogmatis erant, ut eos voce "
publicâ hostes Domini proclamaret." "

Hic quidem irritæ ceciderunt captiosæ interrogatiunculæ, quibus illi solent circumscribere simpliciores: neque sine strepitu abcessit lupus tam insigni prædâ frustratus: Palladius enim in suo Commentario ad Lausum [a] haud obscurè significans, multis se hoc genus matronis, viduis, ac Virginibus insidiatum, non dissimulat dolorem de Paulâ, cujus esset præcipuum inter omnes ingenium; eam verò ne discipulam abduceret, impedimento fuisse invidiam Hieronymi Dalmatæ.

a Cap. 29.

Quod in Paulam S. Hieronymi discipulam Palladius, hoc idem in Demetriadem virginem, operâ potissimum S. Augustini ad castiores nuptias translatam, machinatus est Hæresiarcha Pelagius. Celebri Virgini elogia texuerant Hieronymus, Augustinus, Prosper: "Sed quid accidit? inquit Baronius: [b] Crocitare importunè graculus voluit inter "
canentes olores; & in tanta cœlestium nuptia- "
rum festiva solatia conatus est, inter lilia ser- "
pens latenter lubricus anguis, irrepere.' Pe- "
lagius enim .... sub sanctitatis pallio adhuc "

b Anno 413. n. 17.

„ occultus, congratulaturus novæ Christi sponsæ, quasi sponsale munus eidem exhibiturus, epistolam parænetiam ad ipsam misit. .... Augustinus, ut hæc accepit, ne haustum ex epistolæ illius lectione venenum mortem eidem afferret, è vestigio paravit, atque propinavit antidotum.“

Non uni Demetriadi illaqueandæ curas suas intendit Pelagius: gregi fœminarum se præbuit Doctorem, ut quidem significat Hieronymus,[a] suas illi Amazonas exprobrans, quas & peritas sacrarum scripturarum, & Divinorum canticorum psaltrias publicas esse voluerit. Sed de his infrà. Si quis plura desideret huc spectantia, historias adeat Petrobussianorum: ea legat, quibus Henricum Hæreticum est insectatus S. Bernardus.[b] Coclæum adeat[c] de Martini Lutheri noveno choro nobilium & sacrarum quondam Virginum. Florimundum adeat Ræmundum[d] de Calvini Discipulis intra Virginum Monasteria nidulantibus.

Viros pariter, ac mulieres cautos reddat Leonis Magni gravis conclusio.[e] "Hos itaque homines, dilectissimi, per omnia execrabiles, atque pestiferos, quos aliarum gentium perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitiâ vestrâ penitus abdicate. Vosque præcipuè mulieres à talium notitiâ, & colloquiis abstinete; ne, dum fabulosis narrationibus incau-

[a] Lib. 1. contra Pelag.
[b] Ser. 46 in Cant.
[c] de actis Lutheri anno 1523.
[d] Hist. de ortu lib. 7. c. 16.
[e] Ser. de jejun. & eleem. decimi mensis.

incautus delectatur auditus, in Diaboli la- "
queos incidatis: qui sciens, quod primum vi- "
rum mulieris ore seduxerit, perque fœmineam "
credulitatem omnes homines à Paradisi felici- "
tate dejecerit, vestro nunc quoque sexui secu- "
riore insidiatur astutiâ, ut eas, quas sibi po- "
tuerit per ministros suæ falsitatis illicere, & "
fide spoliet, & pudore."

FRAUS VII.

Ascetas profiteri se divinitùs illuminatos supra omnes homines.

"INnumerabiles sunt, inquit Augustinus, [a] qui se videntes, non solùm jactant; sed à Christo illuminatos videri volunt: sunt autem Hæretici. Fortè ipsi per januam intraverunt? Absit." Consequentiam insinuaverat. "Ergo si quos seducunt, mactandos, & occidendos, non liberandos seducunt."

Agnovit hoc genus etiam Iræneus. [b] "Fingunt, inquit, quodam supercilio gravitatem .... & semetipsos spirituales vocant. [c] Nos quidem arguunt, quasi idiotas, & nihil scientes: semetipsos extollunt, perfectos vocantes, & semina electionis."

Accuratius eosdem S. Bernardus depinxit, cum

[a] *Tract. 45. in Ioan.*
[b] *Adversus hæres. lib. 3. c. 15.*
[c] *Ibid. lib. 1. cap. 1.*

Digitized by Google

[a] *Serm. 42. in Cant.* cùm dixit, [a] Hujuſmodi non tam ambulare, „ quàm volitare in magnis, & mirabilibus ſuper „ ſe .... ſpiritualem ſe ſimulantes habere do„ ctrinam, fluidum inſtar roris eloquium, in„ certa, occulta, & quaſi nocturna noſſe my„ ſteria ſapientiæ Dei, ſanctitatis tenere caput, „ & culmen, & in ipſo Chriſti hærere vertice, „ eminendi magis, quàm intrandi ſtudium „ gerere."

Huic generi impoſtorum ſermo ille congruit Eliphaz Themanitæ; [b] *Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtivè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri ejus in horrore viſionis nocturnæ, &c.* Ad quem locum Gregorius [c] variè exagitat Hæreticorum arrogantiam, & fraudem.

[b] *Iob. cap. 4.*

[c] *In cap 4. Iob. cap. 18.*

Verbo illo abſcondito, veniſque ſuſurri, & nocturnâ viſione largiter uſa eſt celebrata antiquis Scriptoribus præſtigiatrix Philumene, quæ Marcionis diſcipulum Apellem ex inſano inſaniorem fecit. Vigent in quibuſdam Academiis lectiones privatæ quædam, & extraordinariæ. Audi igitur Tertullianum de Apelle Aſcetâ illuminatiſſimo: [d] "Habet præterea privatas, ſed extraordinarias lectiones ſuas, quas „ appellant Phaneroſeis Philumenes, ſeu arca„ norum reſerationes à Philumene dictatas." Ad hanc magiſtram, ut divinitùs inſpiratam, ſomnia, atque æſtus animi ſui referebat teſte Auguſtino. [e] Ac ne exiſtimès unius Apellis id

[d] *Lib. de præſcr. adver. hæret. ſub fin.*

[e] *De hæ. cap. 24.*

id esse probrum, in hoc genus Doctorum exclamavit Hieronymus.[a] "Discunt (prô pudor!) à fœminis, quod viros doceant."

a *Epist. 103.*

Magisterio fœmineo haud indigebat Prophetidum initiator Marcus à Gnosticis oriundus Hæreticus, de quo sic memorat Iræneus:[b] "Quotquot dignas putat fieri participes suæ gratiæ, prophetare facit. Maximè enim circa mulieres vacat, & hoc circa eas, quæ sunt honestæ, & circumpurpuratæ, & ditissimæ, quas sæpe adducere tentans, dicit blandiens eis; Participare te volo ex meâ gratiâ............ Ecce gratia descendit in te, aperi os tuum & Propheta. Cum autem mulier responderit; Nunquam prophetavi, & nescio prophetare, invocationes quasdam faciens denuo ad stuporem ejus, quæ seducitur, dicit ei; aperi os tuum & loquere quæcumque, & prophetabis. Illa autem seducta, & elata ab iis, quæ prædicta sunt, concalefaciens animam à suspicione, quod incipiat prophetare, audet, & loquitur, &c. Et exindè prophetidem semetipsam putat, & gratias agit Marco."

b *Lib. 1. adver. hæret. cap. 9.*

Ludi fuerunt hæc, si Montanum spectes: nemo alius spiritalem animarum ducem æquè graphicè mentitus est. Non mulierculas solùm Maximillam, & Priscillam dementavit; sed & viros gravissimos, atque in his Tertullianum.

Polluit verò eâ vi, atque energiâ, ut non disciplinam

disciplinam modò adhiberet suis, sed & magisterium ipsum illicò infunderet. Experta est illa, de quâ infelix Tertullianus in hæc verba. [a]

[a] *Lib. de animâ, cap. de effigie animæ.*

„Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter dominica solemnia per extasim in spiritu patitur: cõversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit sacramenta, & quorundam corda dinoscit, & medicinas desiderantibus sumit......... Fortè, nescio quid, de animâ disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, dimissâ plebe, quo usu solet nobis renuntiare, quæ viderit, inter cætera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter.“ sequuntur deliria sororis de animâ corporeâ, & anthropomorphitâ, quibus captus est vir tantus.

Erat verò illis Montani hipodidascalis decipere volentibus familiaris obtentus, quo causabantur, tangi se quodam divino spiritu, & gratiâ, cui non possent resistere. Maximillæ quidem strophã hanc ad posteros dedit Epiphanius: [b] „Dominus me misit laboris hujus, ac professionis, & fœderis, velut sectæ Antistitem, enarratricẽ, & interpretem, & quidem ad percipiendam Dei notitiam, vellem, nollem, majori quâdam necessitate cõpulsam.“ *O summam intelligentiæ doctrinæq; vim!* Ironia est Epiphanii in hanc vatem, quam & appellat *peregrino spiritu agitatam pecudem.* [c]

[b] *Hæres. 48. n. 13.*

[c] *Ibidẽ.*

Tum

Tum verò confutat operosè dictum impium de necessitate, quam humanæ voluntati imponat gratia Divina, concluditque, Hæreticos ista commentos *cum sacris litteris nullâ ex parte convenire; sed abhorrentem à consentanea Divinæ fidei doctrinâ sententiam, erroremq; defendere.*

Partem non modicam Divinæ mentis ad se traxisse dicas Hæresiarcham Arium, ac plane spolia circumferre Divinitatis exautorato Dei Filio. Thaliam suam, ut refert Athanasius,[a] sic exorditur: "secundum fidem electorū Dei, " Deo familiarium, puerorum sanctorum, rectè " ambulantium, qui sanctum Dei Spiritum acceperunt, hæc ego ipsa condidici à consortibus sapientiæ, elegantibus Dei discipulis, ac " per omnia sapientibus: horum per vestigia veni ego, consentiens illis. Ille ego perinclytus, " multa passus ob Dei gloriam, quique à Deo " ipso sapientiam didici, &c." Quis talia fanti " Magistro Ascetico non se dedat totum? Quis non paucis in diebus se speret evasurum in fastigium sanctitatis hoc Duce?

[a] *Orat. 2. contra Arian.*

Et tamen illę Deo sacratæ Virgines septingentæ, quæ se Ario instituendas præbuerant, [b] parum profecere hoc Magistro, si credimus Alexandriæ Patriarchæ Alexandro, qui in eâ epistolâ, quæ apud Theodoretum [c] extat inscripta Alexandro Constantinopolitano; sed verius Encyclicâ ad Catholicos Episcopos,

[b] *Vide supra.*

[c] *Ecclesi. hist. l. 1. cap. 3.*

con-

conqueritur, Arium, atque Arianos "sibi „ lites, & jurgia movere per *impuras mulierculas*, „ quas seduxerunt: & Christianæ religioni derogare „ per juvenculas suas, quæ plateas omnes „ turpiter circumcursant."

Attamen hoc profecerunt illę Magistro Ario, ut quâdam interiori unctione spiritus hæretici prohiberentur, ne damnatas ab Ecclesiâ universâ blasphemias Arii damnarēt unquam, Sapientiores ipsæ trecentis decem, & octo Patribus Nicæni Concilii, legibus, mandatisque Ecclesiasticis superiores. Non erant hæ quidem illæ Virgines, de quibus est in psalmis; *Adducentur regi virgines post eam .... adducentur in templum regis*: "Sunt enim, ut Augu„stinus observat in hunc locum, [a] sunt virgines „ extra templum regis Hæreticæ Sanctimonia„les: sunt quidem virgines: Sed quid proderit „ eis, nisi adducantur in templum regis? Tem„plum regis in unitate est: templum regis non „ ruinosum, non discissum, non divisum. Jun„ctura lapidum viventium caritas est......... Illæ, „ quæ Virginos esse voluerunt, nisi adducantur „ in templum regis, spōso placere non possunt." Hæc Augustinus de Sanctimonialibus Hæreticis.

[a] *Enarrat. in Psal.* 44.

Præclarè arripuerat artem hæreticam, de quâ hactenus, Arianus Presbyter, cujus nomen historiæ celarunt; sed quem dicere liceat incendii Ariani facem luculentissimam. Maimbourgius

bourgius quidem his fere verbis, rem eſt complexus [a] acceptam à Theodoreto, Socrate, Sozomeno, Nicephoro; "Erat hic Presbyter omnium, qui vixiſſent, nequiſſimus, pietatis ſimulator, atque hypocrita ad nocendum factus, arcano conſiliorum omnium, ſummæque neceſſitudinis vinculo conjunctus Euſebio. Ut verò, quod unicè agebant, Arium exulem Alexandriæ redderent, viam Euſebius invenerat, quâ in domum Conſtantiæ pateret aditus Presbytero, clàm ſubornatis, qui eam docerent, quanti pretii vir eſſet, quantus Dei ſervus, quàm raris à Deo chariſmatis dignatus: ſed inprimis quàm eſſet divinitus illuminatâ mente, quàm certus ad perfectionem dux piis animis; quibus ille ingereret ſublimes de Deo ſenſus, de quo ſic loqueretur, ut nemo melius. Conſtantia Princeps vidua, & pia, quæque, ut ſe ſe à vulgo hominum ſecerneret, amabat ſubtile quiddam in commentationibus piis, Presbyterum audiebat libens, qui & vultu ipſo ſanctitatem ſpirans, & nuſquam ſibi ſtudere viſus, de perfectionibus divinis diſſerebat tam appoſitè ad animum fœminę, ut hunc denique occuparet penitus & inflecteret, quò vellet. Diebus bene multis nullá aliâ de re ſermo; niſi de arcano ſpiritu ſublimis pietatis: donec tandem, ubi viſum eſt, maturum ſermonem ſic rexit, ut non percipiendo artificio inducerentur viri quidam divinitus illuminati, ipſique om-

[a] *Hiſtoire de l'Arianiſme liv. 2.*

„ omnino divini. In his verò negligenter, ut vi-
„ debatur, cum nominaſſet etiam Arium, vafer,
„ ſimulator, tanquam incauto nomen excidiſſet,
„ repreſſit ſe cum gemitu. Mirata Princeps, quid
„ pateretur, cauſam gemitus, & ſilentii exqui-
„ ſivit. Tum ille, ut jam redditus ſibi, deplorare
„ cœpit conditionem viri, cui parem bonitate
„ non haberet hæc terra, qui non eſſet miſer;
„ niſi quod eum Deus ſui ipſius notionibus illu-
„ minaſſet ſupra omnes homines. Alexandrum
„ verò Patriarcham, cum ferre non poſſet hu-
„ jus ſolis radios, quibus ipſe obſcuraretur,
„ violentiâ, & calumniis effeciſſe, ut ecclipſim
„ pateretur Alexandriæ: condemnatum fuiſſe
„ à Nicæno Concilio de quadam doctrinâ, à
„ quâ abeſſet longiſſimè, quamque illi hoſtes
„ ſui falsò attribuiſſent, cùm non poſſent virum
„ perdere, niſi hiſce impoſturis...... Conſtantia
„ ex more piarum mulierum, quæ Directori
„ ſuo ſe totas dediderunt, confiſa, nec fallere,
„ nec falli poſſe Presbyterum ſuum, & pro ora-
„ culo accipiens, quidquid ille pronunciaſſet,
„ non dubitabat, quin eſſent veriſſima, quæ de
„ Ario retulerat ille, facilèque in animum ad-
„ miſit æſtimationem omnem, & amorem Arii,
„ quo eum erat complexa prius, quàm con-
„ demnaretur, oblatum ſibi ab Euſebio."

Hinc illa malorum Ilias non evolvenda ſæculis multis, poſtquam moriens Conſtantia Conſtantino fratri Presbyterum de manu in manum

manum tradidit, commendavitque, tanquam pretio omni rem majorem. Presbyter verò ipse iisdem artibus se penetravit in animum pii Imperatoris, quibus Constantiam vicerat. Historiam de his adeat, qui est curiosus.

Missa faciamus plurima; sed non effugiat mentionem ex recentiore historiâ primus Anabaptistarum parens Nicolaus Pelargus, de quo hæc memorat Arnoldus Meshovius, [a] "Sicubi hospitium subibat, miram in vultu " gravitatem, morumque candorem præ se " ferebat, & sapiens videri, & specialis Dei ami- " cus venerari cupiebat. Unde si qui ipsum con- " venirent, & salutatum alloquerentur, raptus " quasi, & mente in cœlum defixus hærebat, " neminem se conspicari simulans, quousque " sibi consultum videbatur, ac tum demum ex " alto velut somno, & extasi ad se reversus for- " tuitò respectabat, & ad se in colloquium præ- " sentes admittebat, quo dolo plurimos cir- " cumvenit, divinarum rerum visionibus inten- " tum arbitratos." "

a *Hist. Anabaptist. lib. 1. n. 4.*

Pelargum etiam superavit illuminatissimæ sectę Moyses ipse: suũ enim Moysen appellavere Anabaptistę quendam Melchiorem Pelargi, & Munceri discipulum, de quo sic narrat Scriptor idem Meshovius. [b] Hujus cœtus primarius dux erat Melchior Rinck, homo, si " quisquam alius fraudulentus sanè, & in pro- " movendâ "

b *Ibidē. lib. 2. n. 19.*

„ movendâ hæresi singulari quodam præ aliis
„ astu præditus....... Vitæ fuit asperioris, & rigi-
„ dæ, mores ipsi suaves, & civiles, in conversa-
„ tione comis, ac affabilis......... Sermo ipsi de
„ Deo, de visione beatificâ, de retinctorum
„ præmiis frequens. Meditationi deditissimus
„ fuit, quam omnibus in toto mundo delitiis
„ præferre consueverat. Enthusiasmos quin e-
„ tiam, & extases frequenter passus, totis cum
„ Patre, ut vocant, diebus sermones terebat.
„ Hinc alterum Moysen eum nonnulli vo-
„ cabant.“

Nos verò detestemur *peregrino spiritu agitatas pecudes*, præeunte Epiphanio.[a] Non imponant nobis illi *perfecti & spiritales*, illa *electionis semina*, ut se vocant: [b] non aguntur divino spiritu; etsi *majori quadam necessitate compulsos* se mentiantur, ut Maximilla,[c] aut *duabus prophetissis tanquam alicujus Scyllæ rabidis succinctus canibus* Montanus.[d] De Spiritu Sancto, ejusque motione taceat, quisquis est contumax adversus Decreta Ecclesiæ Catholicæ, ejusq; Rectoris supremi, quem Spiritus Sanctus regit. "Non habent Spiritum sanctum, Augustinus ait,[e] qui sunt extra Ecclesiam, de illis
„ quippè scriptum est, *qui se ipsos segregant ani-*
„ *males spiritum non habentes*. Sed nec ille eum
„ percipit, qui fictus est in Ecclesia, quoniam
„ deinde scriptum est: *Sanctus enim Spiritus dis-*
„ *ciplinæ effugiet fictum*. Qui ergo vult habere

Spiritum

[a] *Hæres.* 48. *numer.* 13
[b] *Supra ex Irenæo.*
[c] *Supra ex Epiphanio.*
[d] *Amb. lib. de Salom. cap.* 4.
[e] *Epist.* 50. *in fine.*

Spiritum Sanctum, caveat foris ab Ecclesiâ "
remanere, caveat in eam simulatè intrare. Aut "
si jam talis intravit, caveat in eadem simula- "
tione persistere, ut veraciter coalescat arbori "
vitæ." "

FRAUS VIII.

Arcanas, minimèque evulgandas, præbere Instructiones tyronibus, fœminisque.

HÆreticos S. Hieronymus [a] intelligit *Congregationem Taurorum in vaccis populorum*. "Quia, inquit, neminem possunt decipere, nisi simpliciores, & parvos; hoc est, vaccas minores." Cogitatio est eadem S. Augustini in locum istum. [b]

Porro non alio artificio in animos simplicium irrepunt facilius, quàm magisterio quodam arcano *apud imperitorum mentes de scientiæ singularitate gloriantes*: [c] tum verò præbentes documenta quædam atque institutiones pretii minimè vulgaris, non communicandas; nisi lectioribus quibusdam. O te beatum, hæc si combiberis, penitusque animo hauseris! Paucis à me tantum boni; en tibi instructam bibliothecam sacram compendio. Illi verò accipiunt

[a] *In Ps. 67.*

[b] *Enarrat. in eundem psalm.*

[c] *Greg. in cap. 4 Iob. cap. 18.*

accipiunt, ut nova è cœlo missa Evangelia; haud secùs, ac Maximillæ, & Priscillæ deliras nugas Montanistæ. [a]

[a] *Vide Theod. hæret. fab. lib. 3. cap. 3*

Non effugerunt hanc vim, quæ magna inerat Hæresiarchæ Pelagio, Timasius, atque Jacobus, egregiâ indole adolescentes, atque honestissimo loco nati. [b] Tyrones imperitos Pelagius, orthodoxum simulans adhuc, ut tractare cœpit, discipulos abstulit. Primum igitur, ut Augustinus narrat, [c] *Ipsius Pelagii exhortatione spem, quam habebant in sæculo, reliquerunt, & se ad Dei servitium contulerunt*. Quid sanctius? Possuntne arboris malæ tam boni esse fructus? Audi cætera. Sic præparatis animis, penitusque subditis, *cum Pelagium valde diligerent*, [d] venenum ille infudit primùm quidem guttatim, pòst etiam liberius, scriptam præbens instructionem hæreticam prorsus. Hanc miseri servabant, ut thesaurum, hanc deperibant, ipsi perituri; nisi miseratione Divinâ in Augustinum incidissent.

[b] *Aug. epi. 252*

[c] *Ibidē & epist 95. ad Innocētium.*

[d] *Aug. de gestis Pelagii cap. 10.*

Augustinus complexus adolescentes, & familiari tractans sermone, simul ac animadvertit, quædam ipsis elabi *sanæ doctrinæ adversantia & contra Dei gratiam*, [e] substitit, ingemuitque; sed neque differens medicinam, adjuvante eâdem Dei gratiâ effecit, ut *admonitionibus suis emendari inciperent*. Tum verò candidi adolescentes, neque dum mentiri à Pelagio,

[e] *Ibidē.*

Digitized by Google

gio docti, *dederunt*, inquit Augustinus, [a] *mihi librum, quem ejusdem Pelagii esse dixerunt*. Librum Augustinus abstulit illis libentibus, legit, comperitque, *non aliam appellari gratiam; nisi naturam, quâ libero arbitrio conditi sumus.* [b]

Quid ageret Augustinus? Premeretne pestilentem, multisque nocituram doctrinam? Imò verò sublatâ jam omni dubitatione de Pelagii perfidiâ, [c] stylum strinxit, ipsique Timasio, & Jacobo, nuper Pelagii discipulis, librum scripsit *de naturâ, & gratiâ*, quo detexit grave olentem sentinam, & singulos apices [d] impiorum dogmatum insectatus est. Librum verò ipsum evulgavit perlibenter, ut larvam Orthodoxi hominis Hæretico detraheret. [e]

Attamen nomini Pelagii pepercit in eo libro: non quod speraret clàm fore, contra Pelagium esse scriptum (quî id poterat; cum esset fama publica, [f] doctrinam, quæ confutabatur, Pelagii esse?) sed ne percussus nomine suo Hæreticus *insanabilior redderetur*. [g]

Non successit Augustino consilium hoc: reipsâ enim *insanabilior* ille est redditus, ægerrimè ferens à suis discipulis, quibus privatam dederat instructionem, se proditum esse Augustino, jamque palàm ferri suas technas: nihil verò habuit promptius, quàm lamentari invidiosè, *libros suos inemendatos sibi fuisse surreptos*; [h] cum erroribus ipsis hæreret affixus,

a *Ibidem*

b *Epist. 252.*

c *De gestis Pelagii c. 23.*

d *Epist. Timasii & Iacobi l. de gest. Pelag. c. 24*

e *Baron. an. 414. n. 18.*

f *August. ep. 106. ad Bonif.*

g *Ibid.*

h *Aug. l. 1. de gratia Christi c. 2.*

ut polypus ſaxo; ac ne in iis quidem ſcriptis, quæ Romam miſit purgandi ſui causâ, ſatis eos diſſimularet.[a] Unde & Auguſtinum haud obſcurè mox pœnituit nomini Pelagii pepercisse. "At nunc, inquit,[b] ſi Pelagius Deum cogitat, ,, ſi non eſt ingratus ejus miſericordiæ .... ,, gratius accipiet litteras noſtras, quando ex- ,, preſſo nomine ulcus ſanandum potius aperie- ,, mus, quàm illas, ubi cum dolorem facere ti- ,, meremus, tumorem, quod nos pœnitet, au- ,, gebamus. Si autem mihi fuerit iratus, quàm ,, iniquè iraſcatur, attendat, &, ut vincat iram, ,, tandem aliquando Dei poſtulet gratiam."

[a] Ibidem

[b] De geſtis Pelagii c. 25.

Tyrones, ac diſcipulos felicius inſtruxit non paucos Hæreſiarcha, ut intelliges ex Epiſtolâ Hieronymi ad Cteſiphontem; ſed præ omnibus Cœleſtium, qui de diſcipulo in brevi tempore factus eſt *Magiſter*, *& totius ductor exercitus*, quod ibidem animadvertit ille.

Quid verò inſtructionum exiſtimabimus conſumpſiſſe Pelagium in erudiendis privatim mulieribus? Magiſtras quasdam interpretandi ſcripturas divinas, & laureâ dignas ſapientiæ ſacræ, ſtuduit efficere. De hoc illum ridet Hieronymus:[c] "Quotus enim quiſque Chri- ,, ſtianorum habet legis ſcientiam, quam in mul- ,, tis Doctoribus Eccleſiæ aut rarò, aut difficul- ,, ter inveniat? Verum tu tantæ es liberalitatis, ut ,, favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut ,, in alio loco ſcripſeris, ſcientiam legis etiam

fœminas

[c] Lib. 1. contra Pelag.

Digitized by Google

fœminas habere debere ; cum Apoſtolus "
doceat, eſſe tacendum mulieribus in Eccle- "
ſia." "

Mitto furtivam, ac virulentam Inſtructionem, quam Demetriadi Virgini ſcripſit, nomen ſuum diſſimulans: [a] eam attigi ſuprà verbis pluſculis. Alteram dedit ad viduam quandam, tam pudendâ refertam adulatione, tamque horrendâ impietate, ut neceſſe habuerit negare, etiam in Dioſpolitanâ Synodo, [b] ſua eſſe, quæ ex illâ objectabantur. Unde eſt illa S. Hieronymi exclamatio feſtiva: [c] "O te feli-
cem ! Cujus præter diſcipulas nemo conſcri- "
bit libros : ut quidquid videris diſplicere, non "
tuum, ſed alienum eſſe contendas. Et quis il- "
le tanti erit ingenii, ut lepôrem tui ſermonis "
poſſit imitari?" "

[a] *August ep. 143.*

[b] *Aug. de geſt. Pel. cap. 6.*

[c] *Lib. 3. contra Pelag.*

Sic ſunt magiſtri tenebriones: ſi quando efferri contingit fraudes impias, quibus ſimplices circumveniunt, nihil habent paratius, quàm ut vel inemendatos ſibi libros eſſe ſurreptos mentiantur, vel negent eſſe ſuos. Divina ſunt documenta, dum lecta clàm accidunt: ſi quis protraxerit in publicum, ut nocere deſinant, inemendata per injuriam tutori ſunt ſurrepta, aut omnino autoris ſunt nullius.

Cæterorum me tædet hoc loco, quando artem hanc omnem unus Pelagius abſolutiſſimam exhibuit, niſi fallor.

Non ſit tamen nulla mentio Leontii Brizantini, quem adoleſcentem etiamnum dementarunt Neſtoriani, oblatâ inſtructione, quam ſpecioſo vocabulo *Abſolutionem dogmatum* appellabant; Sed ipſi de ſe credamus ſic narranti. [a] Ex horum cœtu, & numero aliquando fui: cum enim adoleſcens eſſem, & tempus & rationem mihi ſurripuerunt, nullo inſtrumento malitiæ ad hoc non adhibito. Propoſuerunt enim *Dogmatum abſolutionem*, quæ ego poſtquam hoc ſpecioſo verbo, tanquam ſummo digito delibavi, factus ſum avidus, & ut animo prompto eſſem, nihil in me deſideratum eſt. Illi verò me tanquam cæcum alicujus viæ cupidum nacti, conati ſunt in barathrum impietatis ſuæ deturbare; ſed adfuit mihi ſupernè gratia, quæ me ex mediis dentibus rapuit, jam paratiſſimum illorum venationi......... Tradidit me in manus Divinorum virorum, qui totam illam lippitudinem depulerunt, & repurgarunt, &c."

Et verò primam plerisque Hæreſiarchis, quorum recentior eſt memoria, curam fuiſſe conſtat Academicis adoleſcentibus inſidiari. Non alia Joannis Calvini Ars Eccleſiæ fuit pernicioſior. [b] Quoniam verò immorari non lubet, concludat hunc locum morientis Berengarii vox miſerabilis, quam poſteris mandavit Willelmus Malbesburienſis, [c] "Ipſo dio Epiphaniorum moriens, gemituque producto,

a Lib. 2. contra Neſto.

b Vide Florim. Ræmun. de ortu hæreſ. l. 7. c. 10. c. 17. & alibi.

c Hiſt. Angl. lib. 3.

cto, recordatus, quod miseros quosdam ado- "
lescentes primo ætatis flore sectâ suâ infecerit, "
Hodie, inquit, in die apparitionis suæ appare- "
bit mihi Dominus meus JESUS Christus prop- "
ter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel "
propter alios, ut timeo, ad pœnam." "

FRAUS IX.

Hæreses à sua diversas oppugnare strenuè.

S*Tudent, ut certare pro fide videantur*, inquit Gregorius,[a] idque eo consilio, ut sibi vulgus persuadeat, procul ab omni hæresi abesse, quos & fidei defensores, & hæreseon hostes implacabiles, &, si placet, domitores agnoscit.

a *Lib. 7 epist. 57*

Errat perniciosè credulum vulgus. Hæreticos Diabolus hæresibus adversarios constituit, ut hæresim fabricet, ac stabiliat. Fraudem ipsam, autoremque Fraudis in Ario detexit S. Athanasius.[b] Diabolus, inquit, Ario persuasit, ut quasi sub specie adversarii contra hæreses loqueretur, quo melius falleret, suam ipsius hæresim subjiciens."

b *Disp. 2 contra Ariã.*

Non satis habuerunt Ariani loqui aut disputare contra hæreses, etiam vi, & crudelitate

usi

Digitized by Google

a Socrat lib. 2. cap 30. usi sunt contra Novatianos, a ubi Imperatoris potentiâ & armis fortis Macedonius nihil non egit, quò impiam sectam exscinderet, ipse impietate nemini secundus. Laudabilis conatus videri poterat, nisi apparuisset, non tam hæresim displicere in Novatianis, quàm quod habebant reliquum sanæ fidei de SS. Trinitate. Quàm rectâ mente etiam Ariani Meletianis adversati sint, tunc apparuit, b cum passi cladem in Concilio Nicæno, Meletianam factionem sibi adjunxerunt, quò adversus Ecclesiam essent fortiores.

b Athă. disp. 1. contra Arian.

Hæreseo-Mastix quidam diu visus est Nestorius. Primùm evectus in solium Patriarchæ Constantinopolitani, Imperatorem sic affatus est coram omni populo teste Socrate. c
"Mihi, ô Imperator, terram Hæreticis purgatã tribue; & ego tibi cœlum tribuam. Tu mihi in profligandis Hæreticis subveni: & ego tibi in profligandis Persis subveniam."

c Lib. 7. cap. 29.

Contra Hæreticos verò haud segnius egit, quàm dixit: quod animadvertens Vincentius Lirinensis. d "Quis eum, inquit, facilè errare arbitraretur, quem tanto imperii judicio electum, tanto Sacerdotum studio prosecutum videret? .... Qui quotidie palam divina tractabat eloquia, & noxios quoque Judæorum & Gentilium confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret, se recta docere, recta prædicare, recta sentire, qui

d Commom. c. 16.

qui, ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, "
cunctarum hæreseon blasphemias insecta- "
batur? Sed hoc erat illud, quod Moyses ait. "
Tentat vos Dominus Deus vester, si diligatis "
eum, an non." "

Audistine? *ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectatus est.* Sed inprimis [a] exarsisse constat Nestorium in Arianos, Macedonianos, Novatianos, Quartadecimanos. Quin & Theodosio Imperatori autor fuit .... edicti promulgandi, [b] quo proscriberetur Hęreticorum genus omne, expressis longâ serie sectarum nominibus, nisi quod Cœlestianis, seu Pelagianis pepercerit, quibus jam favere cœperat.

a Socrat lib. 7. cap. 29.

b Baron an. 428 n. 25.

Quamquam enimverò ne Cœlestianis quidem pepercit omninò, publicis sermonibus videri voluit, illos quoque insectatus, sed mollius, quàm pro impietate sectæ. Quam etiam id seriò, tunc patuit, quando & Pelagianos Episcopos adhibuit, ut conflaret Pseudosynodum OEcumenicæ Ephesinæ adversariam, & Pelagianam hæresim suæ ita devinxit, ut simul utramque vindicaret illa fęx Episcoporum, & simul utramque condemnarent Ephesini Patres. Patuit idem ex eâ epistolâ, [c] quam ad Cœlestium edicto Imperatoris Constantinopoli pulsum, consolatoriam dedit, egregium exulem scilicet exemplis Sanctorum Joannis Baptistæ, Petrique, & Pauli Aposto-

c Apud Mariū Mercatorem.

Digitized by Google

Apoſtolorum confirmans ad patiendum fortiter. Vides Hæreticum Fidei ſtudium, quo & Cœleſtium, & Cœleſtianos inſectabatur Neſtorius. Nihilo ſanctius reliquos Hęreticos eſt inſectatus, ſi non âberravit conjecturâ Vincentius Lirinenſis; *ut uni hæreſi ſuæ aditum pateſaceret, cunctarum hæreſeon blaſphemias inſectatus eſt.*

Neſtorium, & Neſtorianos uſque adeò oderant Pſeudo-Monachi Schytæ, ut non contenti confeſſione Victoris Diaconi, quâ & Concilium Chalcedonenſe, & epiſtolam Leonis Papę ad Flavianum, & Cyrilli ſcripta adverſus Neſtorium, libens ſuſcipiebat, poſtulaverint omnino, ut fateretur *unum de Trinitate eſſe crucifixum.* Non placuit cavillatio Apoſtolicæ Sedis legatis: repulſam igitur paſſi Monachi, Romam ſe contulere, atque invidioſis criminationibus aures implevere Hormiſdæ Pontificis. Neſtorianus erat Victor Diaconus, Neſtoriani Pontificis Legati, ad propugnationem Catholicæ Fidei adverſus Neſtorianos opem implorarunt Epiſcoporum Siculorum. Quam omnem fraudem attendens Baronius Cardinalis. [a] "Intelligis, Lector, inquit, quomodo verſipelles ſub prætextu quodam impugnandi Neſtorianos, Eutychianam hæreſim auctam blaſphemiis Theopaſchitarum invexerint & calice aureo Babilonis impii blaſphemias propinarint."

[a] *Anno 519. n. 110*

Aliter.

Aliter aliterque Scytharum fraudem detestatur.

At verò post homines natos scelestissimus Photius, quàm severus fidei vindex videri voluit scribens ad Nicolaum Papam. [a] "In circuitu, inquit, rursus impii ambulant. Alii imaginem Christi conspuentes, & ipsi Christo in eâ obtrectantes. Alii naturas in eo confundentes, aut abnegantes, & alii novæ naturæ inductione priores exterminantes, & quartam Synodum innumerabilibus maledictis incessentes, adversum quos nobis bellum excitatum, & multo tempore gestum, multos in obedientiam Christi captivavit. Ecquis mihi det, ut omnes captivos videam? Vulpes rursus ex latibulis suis prodeunt, eosq; qui multis simpliciores sunt, & pravè faciles, per fraudem ut pullos, devorant. Schismaticas dico vulpes, quarum abscondita est malitia, multò iis infestior, qui apertè insidiantur. Nam ingredientes in domos, juxta divinum Apostolum decipiunt mulierculas oneratas peccatis, &c." Quàm bellè Athanasium quemdam, aut si quis alius sanctiori flagravit odio in Hæreticos, imitatus est Photius? Cui neque fides, neque pietas, aut honestas, neque fas ullum curæ fuit.

[a] *Ep. ad Nicolaum Papã.*

Missis cæteris Lutherum atque Calvinum videamus. Lutherus quidem etiam Judæis ad Christianam fidem convertendis adjecit

animum

animum: Scripsit enimverò librum hoc argumento, *Christum* Jesum *verum Iudæum & semen esse Abrahæ*. Ipso libri exordio Pontifici Romano, Episcopis, Sophistis, Monachis pertinaciam imputat Judæorum. Ipse verò præter morem placidus, & caritatem spirans, disputator ingreditur, Judæis Messiam persuasurus. Hoc verò tantùm abest, ut præstiterit; fecit omninò, [a] ut magno jure perfidi viderentur.

Perspiciens igitur nihil se profecisse, alium scripsit librum *de Iudæis & eorum mendaciis*, non jam hoc agens, ut Judæis persuaderet (fatebatur enim, esse desperatæ cæcitatis) sed ut Christianos confirmaret. Planè enim hoc perfecerat suâ illâ in Ecclesiam grassatione, ut & Judæi agerent partes suas, & variis Germaniæ locis judaizarent Christiani, & Circumcisionẽ admitterent. [b] De quo monitus ab Illustri Viro Tertium scripsit seu librum, seu epistolam prolixam *contra Sabbatharios*.

Ferox & in Hereticos videri voluit Hæresiarcha. Flagrabat invidiâ scilicet, tot undique sectis gliscentibus: caput omnium & fons quidam dicebatur Lutherus. Strinxit igitur stylum in Anabaptistas, sed ita [c] ut nefas esse defenderet, supplicio capitis in eo animadverti à Principibus: etenim oportere liberum esse unicuique credere ut velit. Prô sincerum, strenuumque Hæreticorum hostem?

Sed

[a] *Raynald. an. 1523. num. 87*

[b] *Vlenberg in vita Lutheri cap. 30.*

[c] *Coclæus in Act. Lutheri an. 1528.*

Digitized by Google

Sed verò quàm egregius Fidei pugil prodivit adversus Zuinglium, atque Oecolampadium? Librum bene prolixum contra illos scripsit *de Cœnâ Christi*, ubi ea inprimis tela adhibuit, quæ in se vibrata senserat ab Orthodoxis. Gravis author Lutherus negabat [a] "dissensionem inter ipsos esse à Spiritu Sancto: Spiritum vertiginis aiebat contradicere sibi ipsi: concludebat, Diabolum omnis dissensionis Patrem esse eorum Doctorem: In Cœnâ Christi vinum haud remanere ex Evangelii loco probabat; *Non bibam de hoc genimine, &c.*" His alia similia, quàm ille seriò, & quâ spe bonâ, res ipsa loquitur.

a *Ibid.*

Etiam Waldenses, seu Pighardos, atque Hussitas lacessivit acriter; sed quàm sincero sanæ Fidei studio, tunc patuit, cum jam indubitatus Hæreticus, & Romani Pontificis hostis, iisdem turpissimè est blanditus. De his Coclæum adeat, cui id lubet. [b]

b *Ibid.*

Luthero de Fraude eâdem nihil concessit Calvinus. Instructionem scripsit *adversus Anabaptistas*: Instructionem *adversus fanaticam, & furiosam sectam libertinorum*. Gaudent Hæretici instructiones scribere; sed ad destructionem rectæ fidei, etiam cum instruunt adversus hæreses. Sed verò in Michaëlem Servetum, & Valentinum gentilem, quorum hic Arianam, ille Sabellianam impietatem suscitabant, vires omnes eloquentiæ, & ingenii exercuit. Quin etiam

anno 1523.

etiam contra Servetum docere non dubitavit *Iure gladii coercendos esse Hæreticos*: atque hoc ille sui immemor, capitisque sui, qui & eo pacto in se capitalem tulerit sententiam, & librũ scripserat, quo pernegaverat, fas esse capitis supplicio in Hæreticos sævire: sed nimirum sententiam Hæretici versatilem habent, animique libidini obsequentem. Non odio hæresis, sed personæ, Servetum neci destinaverat pridem Calvinus. Lento igne exustus ille, non impietatem luit Sabellianam, sed Calvini errores, quos ex ejus Institutione, aliisque libris invidiosè collegerat, palamque proposuerat: causam odii explicuit Bolsecus, [a] neque ignoravit, ut videtur, Cardinalis Turnonius, apud quem eo tempore per Galliam Regis vices gerentem, cum de hæresi Servetum accusasset Calvinus, ridens non parum Cardinalis, [b] *Hæreticus aiebat, hic Hæreticum accusat*.

[a] *Vita Calvini cap. 3.*

[b] *Ibidem*

Nos verò quid censemus de Hæreticorum studio hæreses insectantium? An Hæreticos non esse, quia hæresim ex omnibus unam, alteramve odisse videantur? Quam verè oderint, exempla docuerunt: futiles sciomachiæ hujus generis, atque inanis armorum agitatio, nullas unquam Ecclesiæ victorias peperit: [c] *Ipsi non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel*. Diabolus illis persuasit, si Athanasio credimus, [d] bellum hæresi indicere,

[c] *Lib. 1. Mach. cap. 5.*

[d] *Disp. 2. cõtra Arian.*

cere, ut hæresim spargant; ut ut erit, nunquam mihi Orthodoxus videbitur Calvinus, aut Calvini discipulus, quod declamantem audiam, videamve scribentem contra Arianam, aut Sabellianam perfidiam. Suas ipse impietates abjiciat. Tremendis Mysteriis Corporis & Sanguinis Christi venerationem restituat blasphemus: Arbitrium lapsi hominis necessitate liberum confiteatur: neque satis habet libertatis nomen inane haud aspernari, aut comminisci in differentiæ fucum quendam. Errorum monstra cætera, quæ in Ecclesiam immisit, suo ipse stylo confodiat: hâc lege, & non aliâ, & Hæreticorum hostem, & Orthodoxum Doctorem, se nobis probabit.

FRAUS X.

Morum Magistros, & Reformatores severos se præbere.

PLures, quàm opinere, sectatores habuit Hæresiarcha Cerdo, quâ parte alterum introduxit *Deum Sævum, mundi Creatorem*, ut memorat Tertullianus.[a] Hæreticos plerosque tam duros videas morum censores, ut quemdam non solum agnoscere cum Cerdone; sed &

[a] *Lib. de Præscr. cap. 21.*

Digitized by Google

& adorare videantur *Deum Sævum*; hoc stultiores Cerdone, qui quemdam agnovit *Deum Sævum, mundi Creatorem*; sed res suas habere jussit, veneratus Superioris Dei Filium Christum, ut idem indicat Tertullianus.[a]

[a] *Ibid.*

Parum fidebat illis Censoribus, & Morum Magistris S. Augustinus commentans illa Psalmi; [b] *Quomodo dicetis animæ meæ; trāsmigra in montem sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetrâ, ut sagittent in obscuro rectos corde. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt, &c.* Hęc ille jubet intelligi dicta contra Hęreticos: "Omnes enim, inquit, quantum in ipsis est, destruxerunt laudem, quam ex ore infantium, & lactentium perfecit Deus: DUM QUÆSTIONIBUS VARIIS, ET SCRUPULOSIS EXAGITANT PARVULOS, & eos nutriri fidei lacte non sinunt. Quasi ergo dictum sit huic animæ; Quare isti tibi dicunt; *Transmigra in montem sicut passer?* Quare de peccatoribus terrent, qui intenderunt arcum ad sagittandos in obscurâ lunâ rectos corde? Respondet; ideò utique me terrent; *Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt.* Ubi? nisi in conventiculis suis, ubi parvulos & interioris lucis ignaros, nō lacte nutriunt; sed venenis necant?" Huc denique, Augustini judicio, tendunt illa terriculamenta verius quàm documenta Hæreticorum, *Quæstionibus vanis & scrupulosis exagitantium parvulos.*

[b] *Enarrat. in psal. 10.*

Est

Digitized by Google

Eſt verò fabulæ haud injucundæ ſimile, quod hiſtorias volventi ſeſe offert toties. Ut quiſque ad ſectam Eccleſiæ rebellem ſe contulit, cenſuræ cujuſpiam honore publico auctum ſe reputat, vultum, animumque ſumens ſeveri cenſoris: ſectam pro lomento putat, quo exterere queat, quod ſecta ipſa affert maculæ.

Montanus quidem Hæreſiarcha ſimul Hæreticus apparuit, ſimul faſtidire cœpit Eccleſię mores parum ſeveros. Unum celebrari *Quadrageſimæ* jejunium? Diſplicuit hæc lenitas, terna celebrari mandavit. Chriſtianum mortuâ conjuge cogitare alteras nuptias? Adulterium. Tam variè delinquentes admitti ad veniam tam facilè? Obſervandæ Eccleſiæ fores.[a] Quiſquamne Tyranno inſtante, Martyrii cruciatum fugiat? [b] ***Nullo modo fugiendum eſt, quod à Deo evenit***; ut jam Montani correptus inſaniâ docuit, Tertullianus. Cenſoriam licentiam, quâ eſt uſus Montanus rectè explicuit Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopus. [c] ***Veteratorio ſpiritu*** inſeſſum prædicans, qui ***conjecturis & rationibus probabilibus nixus...... peccata coram redargueret, ut putaretur etiam corrector vitiorum.***

[a] *De his Hieron. epiſt. 54 ad Marcellam.*

[b] *Lib. de fugâ in perſecut. c. 4.*

[c] *Euſeb. lib. 5. cap. 14.*

Sed fraude iſtâ inprimis deteſtandâ venit Euſebiana factio, Ario devota. Quid illa flagitiorum non texit obtento ſtudio Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendi, pravoſque

Digitized by Google

mores castigandi? "Eusebiani, inquit Baronius, [a] usque dum vixit Constantinus, si quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam ut Ariani; at potius ut bonorum morum vindices præstiterunt. Sed & Ecclesiasticæ disciplinæ custodes, cum Athanasium damnaverunt, ... se exhibuerunt." Hâc illi fraude Constantinum Imperatorem induxerunt planissimè, quod ipse deplorat in eâ epistolâ, quam contra Eusebium, ac Theognim ad Nicomedienses dedit. [b]

Parumnè Severus Pelagius? Ejus inter articulos, à Diospolitanâ Synodo damnatos, sextus hic visitur; [c] *Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei*; ut non sit mirum, quod Gennadius memorat, [d] Julianum Pelagii discipulum, affligente populum annonæ caritate, erogasse, quæ habebat, omnia ad levamen miserorum. Quamquam & mirum est: Solent enim Hæretici aliter docere, ac facere, ut mox ostendam.

Quod infra videbimus, exquisitissimis lacrymis solere Hæreticos deplorare labefactam Ecclesiæ fidem, atque in paucis subsistentem, idem hoc loco observare licet. Nihilo segnius erudierunt oculos isti Heraclyti, ut defleant collapsos Ecclesiæ mores, ac disciplinam. Nusquam vera virtus, nusquam pietas, nusquam

a *Ann. 336. n. 37.*

b *Apud Theodoret. Eccl Hist. l. 2 cap. 29.*

c *Aug. de peccat. orig. l. 2. c. 11. & ep. 106.*

d *In Catalog. Viror. Illust. cap. 44.*

nusquam Dei timor extra Hæreticorum conventicula: Sic Gregorius observavit.[a] Nullum, „ inquit, existimant, timorem Domini habere, „ nisi eum, quem potuerint ad suæ confessionis „ stultitiam trahere......... Cùm vera mala Hære- „ tici contra bonos non inveniunt, fingunt, „ quæ redarguant, ut justi esse videantur." Et „ alibi: [b] "Solent, ait, Hæretici de justitiæ suæ contra nos elatione gloriari, atque opera sua „ ostentationis inflatione jactare, nosque ini- „ quos, ut diximus, aut esse, aut fuisse, crimina- „ ri." Contempsit igitur Gregorius complorationes istas tam tragicas Hæreticorum; ut superbiam, ut fraudem, & calumniam.

[a] In cap. 15. Iob c. 15.

[b] In cap. 28. Iob c. 16.

Exemplo id fecit S. Hieronymi superbiam Pelagii castigantis. Habebat hic Hæresiarcha persuasum, extra gregẽ suum nullam in mundo extare pietatem, aut justitiam: undè cuidam viduæ, quam ad suum numerum adscripserat, sic adulantem inducit Hieronymus: [c] "O te felicem nimium! O beatam! si justitia, quæ „ esse jam nonnisi in cœlo creditur, apud te so- „ lam inveniatur in terris." Neque tamen ita „ speravit ille in unâ viduâ justitiam futuram, ut non agnosceret justos sui similes paucos quosdam, quorum imitationem in orando Deo viduam eandem docuit. "Ille enim, inquiebat, „ meritò ad Deum extollit manus, ille preces „ bonâ conscientiâ fundit, qui potest dicere: „ Tu enim nosti, Domine, quàm sanctæ, quàm „

[c] Lib. 3. cōtra Pelag. c. 5.

 innocentes

„ innocentes, quàm puræ ſint ab omni fraude,
„ & injuriâ, & rapinâ, quas ad te expando ma-
„ nus, quàm juſta, quàm immaculata labia, &
„ ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mi-
„ hi miſerearis, preces fundo.“ Arrogantiam
a Ibid. intolerandã ſic excepit Hieronymus; [a] Chri-
„ ſtiani eſt hæc, an Phariſæi ſuperbientis oratio?
„ qui etiam in Evangelio loquebatur: *Deus gra-*
„ *tias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines,*
„ *raptores, injuſti, adulteri.*“ Multis inſectatur
Pelagianam ſuperbiam Phariſiacâ inflatiorem.
& *nimiam*, ut vocat, *ſanctitatem*, *audacter ſibi*
cœleſtia dona vindicantium, *ipſamq; juſtitiam*,
quæ ſi ipſi deficiant ſcilicet, *non niſi in cœlo*
ſit.

Eandem Novatianorum ſuperbiam per-
b In Oſee ſtringit [b] "Hæreticos dicens Samariam vocari:
c. 14. „ eò quod Dei præcepta ſervare ſe jactent: non
„ quod cuſtodes ſint legis ejus; ſed quod hoc
„ eſſe ſe dicant, in ſimilitudinem ſchiſmatis No-
„ vatianorum, qui & ipſi Catharos, ideſt Mun-
„ dos ſe vocant, cum ſint omnium immundiſ-
„ ſimi.“

Recentiora videamus. De Wicleffiſtis qui-
c Tom. 1 dem Thomas Waldenſis. [c] "Cavete, ait, om-
Doct. 8. nes fideles à fermento Phariſæorum, quod eſt
„ Hypocriſis; quando ſimulant, ſe ipſos eſſe
„ ſanctos, & de impuritate vitæ arguunt Or-
„ thodoxos. O ſi ſciretis, inquiunt, de quàm
„ impiâ vitâ omnis pene Wicleffiſtarum multi-
tudo

tudo erumpit; sed sicut jumentum de minori " luto transiliens se totum projicit in abyssum, " ita Hæretici Wicleffistę, dum faciunt sibi con- " scientiam criminis, saltant in voraginem hæ- " resis. " "

Hæresiarcha Lutherus Catholicæ Ecclesię excidium cogitans, unde est exorsus? depravatos Ecclesiæ mores, lapsamque disciplinam deplorare cœpit, *reformationem*, & nil nisi *reformationem* crepare institit. "Scriptis, inquit Florimundus, [a] ad Imperatorem, Reges, & Principes non Germaniæ tantùm, sed universæ Christianæ Reipublicæ, litteris, variè eorum animos versabat. .... Pronis auribus " accipiebatur, quod nihil nisi reformationem " spectare aut poscere se dicebat, protestans, " cætera integra & illæsa sibi fore." Dedit ejusdem fraudis testimonium pius Saxoniæ Dux Georgius ad Regem Angliæ ea scribens, quæ coram spectaverat de obtentu Lutheri *Ecclesiasticos abusus ad pristina Religionis severitatem corrigendi*. Atque *hâc*, inquit, Dux Georgius, *velut personâ tectus, magno spectatorum plausu, in orbis pæne universi theatro Tragœdiæ suæ principium dedit*.

[a] *De ortu hæ. lib. 1. c. 10.*

Amico Luthero haud absimilia succinuit Erasmus ad Moguntinum Præsulem scribens, Lutherumque excusans. "Paulatim, inquit, " evanescebat vigor Evangelicæ doctrinæ, & " futurum erat, ut rebus semper in deterius "

 prolabentibus

„ prolabentibus, tandem prorsus extinguere-
„ tur illa scintilla Christianæ pietatis, ut non re-
„ daccendi poterat extincta caritas. Ad cere-
„ monias plusquam Judaicas summa religionis
„ vergebat: *Hæc suspirant, ac deplorant boni*
„ *viri.*" En denique suspirium & lachrymas hæreticas hominis hoc dolentis, non licere impunè grassari Luthero.

Joannes verò Calvinus quàm est facundus, ubi ad deplorationem morum, collapsæque disciplinæ Ecclesiasticæ dilabitur? Mali originem repetit à Gregorii Papæ temporibus. [a]
„ "Omnia illic, ait, à Christi institutione adeo
„ dissimilia sunt, imò aliena, adeo ab antiquis
„ Ecclesiæ institutis, ac moribus degenerarunt;
„ adeo cum naturâ, & ratione pugnant, ut nul-
„ la major Christo fieri injuria possit, quàm
„ dum ejus nomen ad defensionem tam ordina-
„ ti regiminis obtendunt........ ubi illa lux mun-
„ di, quam Christus requirit? ubi sal terræ? ubi
„ illa sanctitas, quæ velut perpetua censura esse
„ possit?" Descendit ad deplorandum luxum, mollitiem, fraudem, superbiam, sævitiem, dissolutam in omnibus vitæ partibus licentiam.

[a] *Instit. lib. 4. c. 5. n. 12. & seqq.*

At verò exulantem undique innocentiam vitæ suo ab grege susceptam magno artificio prædicat in eo libello, quem ad Franciscum Galliarum Regem dedit, suæque Institutioni
„ præfixit. "Nec tam infeliciter, ait, gratiâ Dei,
in

in Evangelio profecimus, quin iſtis obtrecta- "
toribus vita noſtra caſtitatis, benignitatis, "
miſericordiæ, continentiæ, patientiæ, mode- "
ſtiæ & virtutis cujuſvis exemplum eſſe poſſit. "
Nos ſanè Deum ſincerè timere, & colere, re- "
ipsâ palam eſt, quando tum vitâ, tum morte "
noſtrâ nomen ejus ſanctificari petimus, &c. "
O hypocritam glorioſum, atque Heraclytum Hæreticum!

Finem deplorandi morum corruptelam nullum faciebant Hæretici Anabaptiſtæ, ubi primum in Eccleſiâ exorti ſunt. Factos ad fallendum populum Sycophantas egregiè deſcripſit Meshovius.[a] Erat, inquit, res cunctis "
ſtupori, & admirationi, ſpeciemque referebat "
ſpiritualis cujuſdam vitæ, quam novi illi, & "
renati homines per adumbratam quandam "
ſeveritatem, rigoremque inchoaſſe crede- "
bantur. Neque enim aut riſu unquam, aut jo- "
cis ſeſe oblectabant; ſed continuò, ſi quid "
palam agendum erat, ſuſpiria altè ducebant, "
ingemiſcebantque, quin & uberes ſubinde "
profundebant lachrymas, & vanitates hujus "
mundi coram civibus deplorabant. Hinc mi- "
ri per urbem ſermones ſpargebantur, à rudio- "
ribus præſertim, quibus illi ſuis fraudibus illu- "
debant. Scribant quidam (ita namque de iis "
loquebantur) de Anabaptiſtis, quod velint, "
dicant, ſeditionibus eos deditos, & Chriſtia- "
næ Reipublicæ interitum machinari; ex vitâ "
certè

[a] *Hiſt. Anabapt. lib. 2. n. 3.*

„ certè illorum, operibus doctrinâque, quàm
„ id falsum sit, evidenter elucet: cum nec jura-
„ re eos, nec blasphemare, nec quæ sua sunt,
„ quærere; sed ea tantùm, quæ Christi sunt,
„ quæ Scripturis conformia, promovere vide-
„ ris. Ecquis hæc non vera, & maximè Chri-
„ stiano homine digna dixerit? &c.“ Atque hanc vim habebant hæretica suspiria, falsæq; lacrymæ impostorum.

Magis rem ipsam censeas, cum eos videas miracula quædam promittentes in convertendis ad Deum perversis hominibus. S. Hieronymus quidem, vel quisquis est Author illorum commentariorum in Psalmos: [a] "Quan-
„ do Hæretici, ait, quasi mysteria aliqua promit-
„ tunt, quando regna cœlorum, quando conti-
„ nentiam, quando jejunia, quando sanctitatem,
„ quando renuntiationem sæculi, promittunt
„ meridiem: sed quoniam non est Christi lu-
„ men, non est meridies; sed dæmonium meri-
„ dianum.“ Similiter Ven. Beda: [b] "Promittunt se hæretici contextu verborum cœlestiū
„ salubre suis auditoribus quasi stratum parare,
„ in quo à vitiorum tumultibus libero corde
„ quiescant; sed veraciter illius funibus pecca-
„ torum construunt locum perditionis, ubi
„ perpetuò pedes, manusque alligati damnan-
„ tur.“

[a] In psal. 90.
[b] In c. 7. Prov.

Miri fuerunt in hoc genere Anabaptistæ, qui, ut Zuinglius ipse, eorum partes secutus ad

ad tempus, affirmavit, [a] "Talem sibi Eccle- " siam imaginabantur, talemque se constituere " posse sperabant, qualem Christus in cœlis ha- " bet, & habiturus est, omnis peccati, & la- " bis expertem."

[a] Meshovius Hist. Anab. l. 2. n. 2.

Sed quid si adlaborantibus Hæreticis, è peccatorum cœno emergere quidam videantur? Quid si etiam miracula patrari quædam? Audi Gregorium: [b] "Sancta Ecclesia cum canibus " gregis sui Hæreticorum patres ponere dedig- " natur .... qui si & visi sunt quorumdam mo- " res ad honesta agenda docuisse pro eo tamen, " quod de Deo recta non senserunt, eos cum " canibus gregis sui non ponit. .... Et quia " nonnunquam Hæretici, quantò magis in per- " fidiæ errorem delabuntur, tantò amplius " in exteriori sese operatione custodiunt, ita ut " agere præ cæteris magna videantur, sancta u- " niversalis Ecclesia cuncta eorum opera despi- " cit, quæ ex autoritate fidei non prodire per- " pendit. .... Nonnunquam verò Hæretici " signa quoque, & miracula faciunt; sed ut hîc " præmia afflictionis suæ, abstinentiæque re- " cipiant: videlicet laudes, quas quærunt, &c." " Copiosus est hoc loco Gregorius, haud ignarus, quàm sit idoneus ad offensionem lapis, Hæreticus Apostolo similis, unam fidem si demas, &, quæ hinc pendet, genuinam caritatem. Illi verò Pseudo-Apostoli *sub nomine Christi militant contra nomen Christi*, ut ibidem

[b] In cap. 30. Iob c. 9.

Gregorius

Gregorius affirmat.

Callebant maximè fraudem iſtam Hæretici Wicleffiſtæ, ut ſæpius memorat Waldenſis, cujus locum exhibeo notabilem:[a] "O! inquit, „ audivi dicere Joannem Caſtri veteris : Nunquam ante iſtam doctrinam ceſſavi peccare: „ quomodo tamen ab iſtis Wicleffiſtis tantum „ addidici? At ego reſpondi: Væ mihi, ſi tot ſanctis, & immaculatis viris, quot quotidie videmus prædicare, neglectis etiam ſcripturis „ ſanctis, & ipſius dictis Chriſti ſacris, aut poſtpoſitis, aut contemptis nulla mihi gratia eſt „ emendare commiſſum ; NISI PRIUS AUDIAM „ DIABOLUM PRÆDICANTEM."

[a] Tom. 1. doct. 7.

Nobis verò propitius ſit Deus, ne ſpecie iſtâ magnarum converſionum, ad quas illi impios invitant, aut perducere videntur reipsâ, commoveamur, ut Diabolum audire placeat morum Magiſtrum. Attende, Chriſtiane, in quam voraginem, in quod barathrum, ducat iſta ſpecies: Hæreticum ſi eſſe ſcieris, atque adverſus Eccleſiaſtica decreta contumacem, qui te ſibi offert Chriſtianæ vitæ Doctorem, morumque correctorem, ne auſculta; etſi etiam Paulo Apoſtolo cætera ſimilis ſit viſus. Inſideat animo Tertulliani animadverſio ſapiens: [b] "De verbi autem adminiſtratione „ quid dicam? Cum hoc ſit negotium illis, non „ ethnicos convertendi; ſed noſtros evertendi: „ hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam

[b] Lib. de Præſcript. c. 16. 17.

nam; non si jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit; sed de veritatis destructione. Nostra suffodiant, ut sua ædificent .... ruinas facilius operantur stantium ædificiorum, quàm extructiones jacentium ruinarum, ad hæc solummodo opera humiles, & blandi, & summissi agunt." His verò morum Doctoribus fraudulentis ingeratur Divina exprobratio apud Jeremiam: [a] *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem? Quæ insuper & malitias tuas docuisti vias tuas, & in alis tuis inventus est Sanguis animarum pauperum, & innocentum. .... Et dixisti absque peccato, & innocens ego sum. Ecce ego judicio contendam tecum, &c.*

[a] Cap. 2.

FRAUS XI.

Reformare Theologiam Moralem.

TAm severi morum censores Hæretici intactamne relinquant eam Theologiæ partem, quæ de moribus disputat? Tetrior nulla Ecclesiæ pestis incubuit Morali Theologiâ pessimorum Magistrorum, ac fabulatorum. Nullus æquè Provinciam barbarus miles depopu-

depopulatus est uspiam, ac illa Theologastrorum turba quæ ubi se in Ecclesiam infudit, depasta est germen omne pietatis, priscæque virtutis. Querela est Hæreticorum, ut mox intelliges.

Certè quidem Moralem Theologiam sumpsere pridem reformandam. Hoc Joannes Wicleffus, hoc Wicleffi discipulus Hussius, hoc inde cæteri egerunt strenuè. Wicleffus quidem, atque Hussius nimis id crudè, fateor, quam ut placere possent bonis viris. Sic statuebant Hypocritæ, Doctores vulgò nimium esse remissos in explicādâ enormitate malitię, quæ inest lethali peccato; neque satis habere perspectos tantæ malitiæ effectus omnes. Satisne sit, impium Deo esse execrabilem? Decet nos imitari mores Divinos. Concluserunt, non esse habendum pro superiore, cui obedire oporteat, qui se contaminarit lethali culpâ: atque hunc articulum extulere in publicum: [a] *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* Hæc illi oppidò crudè, inquam, ac si ne characterem quidem teneat Episcopus impius: hoc ipsum si hæretico artificio temperassent, explicantes de jacturâ characteris *secundùm canones, seu canonicè* impietatis suæ approbatores invenissent haud paulò plures.

[a] *Artic. Wicleffi. 15. Hussii 30.*

Segnes Wicleffo visi Theologi ad propul-

sandum

ſandum ab Eccleſiâ Simoniæ Sacrilegium. Vah! Tantumne indulgeri vitio tam execrato jam inde à primâ Eccleſiæ ætate? Simon Magus, Giezi, Balaam à mortuis ſi reſurgant, haud magno labore ſe expurgent hodie. Sic viſum, credo, Hæreticis Wicleffo, Huſſio, Hieronymo Pragenſi. Tanto malo ut occurreret, Articulum condidit Wicleffus,[a] approbavitque Huſſius, ac Hieronymus: *Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis eis ſubvenientibus in temporalibus.* En quò prorumpat Moralem Theologiam reformandi hæretica prurigo.

[a] *Wicleff Artic. 25.*

Intolerandi Hæreticis iiſdem viſi Theologi, qui docerent, humanas quaſdam actiones ſic eſſe indifferentes, ut neque bonæ, neque malæ eſſent: Contraivere hoc articulo: [b] *Nulla ſunt opera indifferentia; ſed hæc eſt diviſio immediata humanorum operum, quod ſint vel virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quicquam, tunc agit vitiosè: &, ſi eſt virtuoſus, & agat quicquam, tunc agit virtuosè.* Cruda ratio, neque ulli placitura, cui ſupereſt ſcintilla rectæ fidei. Illi quidem, præter morem Hæreticorum, haud ſatis tectè, aut ſpeciosè. Mirum verò, quoniam decretum habebant, deturpare Theſim innoxiam, ac liberam Theologis, non petiiſſe argumentum ex primo, Maximoque mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* Sperare pote-

[b] *Huſ. Artic. 16.*

poterant, pluribus se placituros istâ specie.

Non prosequar cætera reformationis capita. Hoc habuere omnino Hæreticum reformatores Wicleffistæ, quod Moralis Theologiæ Doctores in ordinem redegerint[a] *Iudæorum, Scribarum, & Pharisæorum*. Calumniam à Wicleffistis acceptam, blasphemiâ condivit Erasmus Roterodamus, utinam, inquiens,[b] aliquando expergiscatur Christus, & hoc Judaismo liberet populum suum! nisi forte ideo nos redemit, ut his portentis serviamus."

Odio Moralis Theologiæ, ac studio eam reformandi superiores omnes superavit Lutherus, & Lutheri discipuli.

Primum quidem, ecquos esse eos censes *Pharisæos, & Hypocritas*, de quibus in Evangelio Christus;[c] *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Hæretici intelligunt Scholasticos Doctores Theologiæ Moralis. Ecquos verò eos, qui apud Ezechielem[d] dicuntur *Consuere pulvillos sub omni cubito manus, & facere cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas?* Locum Hæretici accomodant Moralibus Theologis. Ecquos denique eos, qui ignaviam invehunt, spiritumque, & timorem Dei, & fervorem orandi extinguunt? Theologi sunt Morales, si credimus Hæreticis. Singula præstabit Martinus Lutherus:[e] "Gravis, inquit, error est iterum Theologorum, peccatum veniale penitus nihil curan-

a *Hus. art. 14.*

b *Raynald. an. 1515. n. 89.*

c *Luc. 12.*

d *Cap. 13.*

e *Lib. Resolution. contra conclus. Eccian. concl. 2.*

curantium......... Nonne apparet, hos Theologiſtas, primum extinguere timorem Dei in hominibus: deinde pulvillos, & cervicalia ſub manibus, & capitibus eorum ponere, ut Ezechiel dicit, ac orationes eorum remittere, ac ſpiritum extinguere? Non eſt res levis momenti (dicant, quid velint) legi, & voluntati divinæ vel uno pilo diſſentire: nec res eſt levis miſericordia Divina, quæ veniale ignoſcit. Ita illi legem, & voluntatem ac miſericordiam Divinam pænè pro ignaviâ habent, ne ferveat oratio, neve ardeat gratitudo juſtorum. Attendamus ergo à fermento iſto Pharaſaico."

Sed, prô Deum! quæ præſtigiæ Moralem Theologiam faſcinarunt uſque adeò? Non dubitant Hæretici cauſam repetere à licentiâ opinionum, probabilitatum, & humanarum rationum, quibus, ut vento quodam, fluctuantes circumferuntur Theologi. Lutherus quidem de Theologiâ universè ſic paucis effatur: [a] *Theologia meris opinionibus tractatur.* Uberius Lutheri diſcipulus apud Melanchtonem, ſi non eſt Melanchton ipſe; Didymum ſe vocat Faventinum: [b] "Onerata eſt, inquit, reſpublica Chriſtiana Theologaſtrorum ſententiis de conſcientiæ caſibus inextricabilibus; ubi nuſquam non ex quæſtione quæſtio naſcitur........... fidem faciant vel bibliopolia, ubi tantum ſummarum (ſic enim vocant) tantum commentariorum in quartum ſenten-

[a] *In Præfat. in Cōment. ad Gal.*

[b] *In orat. pro Martin. Luth.*

tiarum,

„ riarum eſt reperire, ut eorum Nomenclatu-
„ ram nemo facere poſſit. Atque hæc ſunt,
„ Principes, illa conſcientiarum cauteria, quæ
„ jam olim prudenter caveri juſſit Apoſtolus:
„ neque enim ullâ ratione certius Chriſtum di-
„ diſcas, quàm illo ipſo doctrinæ genere, quo ſo-
„ lo aiunt Theologaſtri, formari poſſe conſcien-
„ tias, &c."

Vide etiam Sycophantæ lachrymas: has ire jubent Hæretici, quà volunt: "Poſtea-
„ quam, inquit, recepta ſunt Philoſophorum
„ Ethica, alius ex alio, ut ſolet, error ſubinde na-
„ tus eſt; adeoque obſcurata (ô horrendas tene-
„ bras!) univerſa Chriſti doctrina. Quam cala-
„ mitatem Eccleſiæ, cur non pii omnes perpe-
„ tuiis lachrymis deploramus? cur non aſſiduis
„ gemitibus placamus Deum, ut vel tandem in
„ viam revocet Eccleſiæ reliquias."

Ethicâ Philoſophorum, humaniſque rationibus in ſcholas receptis, factum queritur,
„ ut "Antiquata ſit Chriſtiana caritas, antiquata
„ omnia humanitatis officia; deinde jurgiis, liti-
„ bus, cædibus, fœnori, & quibus non malis?
„ via facta ſit: pium ſit iraſci, judicio contende-
„ re, belligerari, fœnerare, negare egenti be-
„ neficium." Accumulat hoc genus alia Hæreticis familiaria, ubi ſua illos bilis commovet in eos Theologos, quos *Caſtſtas* dicimus.

Non meris lachrymis, & querimoniis tempus triverunt Lutherus, & Lutherani. Reformandæ

mandæ Theologiæ Morali incubuerunt ſtrenuè. Lutherus quidem Leoni X. Pontifici dedicandam putavit lucubrationem ſuam *de libertate Chriſtianâ*, quam in dedicatione ipsâ quandam nominat *Summam Chriſtianæ vitæ.* Hîc illud uſurpat Hæreticis familiare contra Morales Theologos: [a] *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Quid ego memorem Lutheranæ reformationis articulos ſingulos? Graviter peccarunt Morales Theologi laxando Principibus belli gerendi licentiam; ſic prædicare ſolent illi. Accipe ergo Lutheri articulum: [b] *Præliari adverſus Turcas eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras.* O tranquillitatem lethalem, quam pleriſque Chriſtianis conciliant Morales Theologi! Oblivioni data eſt caritatis lex, clam dominatur ſuperbia: quam enim actionem haud moderatur caritas, huic ſuperbia eſt mater. Sic Hæretici cenſent reformatores. Audi Lutherum: [c] *Nemo eſt certus, ſe non sẽper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.* Non potuit de hoc dubitare Hæreſiarcha, qui perſuaſum ſibi haberet, [d] cõtra primum ac maximum prçceptum peccari, ſi quis in animam irreperet affectus erga rem creatam, quem non regeret caritas erga Deum. Quid plura? Moralem ipſe Theologiam ad axiomata ſua conformatam declamavit ad populum, ediditque in lucem nomine *Declamationum popularium in*

[a] *Iſaiæ cap. 3.*

[b] *Artic. 34. dãnatus à Leone X.*

[c] *Artic. 15.*

[d] *In Declamat. popular. in 1. præcept. & in Comm. epiſt. ad Galat.*

Digitized by Google

decem præcepta Decalogi. Scripsit quoque librum *de usurâ, & negotiatione*, scripsit alia ad reformationem Ethicæ vulgaris non pauca.

Perstrenuè pariter & ridiculè Luthero collaboravit in reformandâ Morali Theologiâ Didymus ille, de quo suprà: nihil intactum reliquit ardelio: sed in primis præcepto caritatis erga Deum, proximumque, ut jam jam ruituro fert opẽ magno animi æstu. [a] D. Thomam lacessit furibundè, qui docuerit, *consilium esse non præceptum, juvare egentem, nisi cùm animam inter dentes tenet*. Sic nihil scrupuli est Hæreticis, optimo cuique Theologo affingere, quod lubuerit, probri genus, qui interea damnent graviter [b] omnem *caritatis mediocritatem*.

[a] *Orat. pro Luther.*

[b] *Ibidẽ.*

Sed videlicet, ut illi togâ aliâ utuntur domi, aliâ in scholâ; sic & sententiâ. Est illis *Pondus, & pondus; mensura, & mensura*. Quem locum V. Beda commentans, appositè ad rem nostram Hæreticos perstringit. [c] "Pondus, ait, „ & pondus, mensuram & mensuram hypocritę „ atque Hæretici in domibus, hoc est, in sensi„ bus suis habent; in eo, quòd se mundos in co„ gitatione, & puros in actione suâ esse menti„ untur: cæteros verò, velut sordidos, atque „ peccatores, respuunt, & contemnunt, quasi „ staterâ dolosâ, & mensurâ duplici, aliter sua, „ & aliter facta proximorum pensant; ac per hoc in

[c] *In c. 20 Prov. tom. 8 operũ S. Hieron.*

Digitized by Google

in utroque abominabiles apud Deum existunt. Diversum namque pondus in domo sua, diversam habent mensuram, ut aliter videlicet in semetipso, aliter metiatur in proximo, qui in suis semper actibus, quæ laudari, in aliorum verò, quæ vituperari possint, rimatur, &c."

Habent sacræ Litteræ non pauca ad significationem severitatis Divinæ, terrendis impiis idonea: habent non pauciora ad commendationem Divinæ clementiæ, & bonitatis, erigendis pusillanimis accommodata: hæc sibi Hæretici sumunt, illa populo dividunt; adeòque scripturis utuntur ad eum ferè modum, quo Manichæi; etsi artificio, astuque diverso. De Manichæis enim sic Augustinus memorat: [a] "Vaniloqui & mentis seductores, adversantes litteris sacris, quas intelligere nolunt, eligunt ex eis aspera, quæ ibi leguntur, ad commendandam Dei severitatem: & de litteris Apostolicis, & Evangelicis lenia, quæ ibi leguntur ad commendandam bonitatem Dei: & apud homines imperitos hinc ingerũt horrorem, inde quærunt favorem." Sed videlicet sibi ipsis favorem quærunt Hæretici plerique; satis habentes populum terruisse illis severioribus. Unde in Novatianum Hæresiarcham, ad crudelitatem usque severum, sic exclamat S. Cyprianus: [b] *Quænam est tua, Novatiane, dementia, ut illa, quæ ad exitium salutis per-*

[a] *Lib. 1. contra advers. leg. & Proph. c. 17.*

[b] *Lib. contra Novatian. Ep. S.*

Digitized by Google

pertineant, tantum legas, & quæ ad misericordiam prætereas? Non præterivit, ubi id sua interesset; erat enim ignavus, atque in suo periculo damâ timidior, ut patebit infra.

Fraudem Hæreticorum sibi parcentium, neque mores conformantium doctrinis suis, egregiè detexit S. Bernardus, Henricianos insectatus: [a] Est illis perfamiliare, dum reformandæ incumbunt morum Theologiæ, Sacræ Scripturæ testimonia, quæ de meris consiliis intelligi vel possunt, vel debent, rapere indubitanter in præceptorum obligationem; sed quibus haud adstringantur ipsi præcipuè, si dogmata hæretica, quæ tenent mordicus, periclitentur. "Denique indixere, ut dicitur, latebras sibi, ait Bernardus, firmaverunt sibi sermonem nequam, *jura, perjura secretum prodere noli.* Enimverò aliàs nè tenuiter quidē jurare ullatenus acquiescunt, propter illud de Evangelio, [b] *Non jurare neque per cælum neque per terram.* O stulti & tardi corde, repleti planè Pharisaico spiritu, liquantes culicem, & camelum glutientes! jurare non licet, & pejerare licet? An in hoc solo utrumque licet? De quonam mihi Evangeliorum loco producitis istam exceptionem, qui ne iöta quidem, ut falsò gloriamini, præteritis? Patet vos & superstitiosè observare de juramento, & flagitiosè præsumere de perjurio. O perversitatem! Quod ad cautelam consultum est: videlicet

a Ser. 65 in Cant.

b Marc. 5.

licet *non jurare*, hoc isti mandati vice tam con- „
tentiosè observant : & quod immobili jure „
sancitum est ; non peierandum scilicet, hoc „
tanquam indifferens pro suâ voluntate dispen- „
sant." Idque ne publica fiant mysteria hære- „
tica, & prodantur perversa dogmata, priusquam „
est maturum ; quam impietatem plu- „
ribus persequitur Bernardus. „

Nos verò Moralem Theologiam, sicubi laxari plus æquo videatur à quoquam, non tam sumamus ipsi reformandam, quàm castam, & nullâ dignam reprehensione laxitatis accipiamus ab iis Magistris, quos constat in eâ præstitisse præcipuè. Sed & judicio Supremi Doctoris Romani Pontificis tribuamus plurimum. Hæreticos verò reformatores detestemur exemplo Christi, Scribas, & Pharisæos detestantis,[a] quibus illi similes Morales Theologos facere gaudent. *Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere. Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus : dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias, &c.*

[c] *Matth. 23.*

Digitized by Google

FRAUS XII.

Reformare Sacramentum Pœnitentiæ, atque ipsam Pœnitentiam formare ad severitatem priscam.

MAgni quidam Pœnitentiarii studuerunt videri plerique Hæretici. Ecclesiam ipsam ad pœnitentiam vocant Gregorio teste:
a In c. 7. Iob 22. a "Quia enim, inquit, se Hæretici temerè lu-
„ cem veritatis æstimant, sanctam Ecclesiam,
„ quasi in erroris nocte positam, ad diluculum
„ veritatis vocant; quatenus & per cognitionem
„ Dei, quasi per diluculum, surgat & per pre-
„ cem pœnitentiæ præterita diluat."

Est verò hæc fraus omnium nequissima, quâ, cum hoc agere videantur, ut pœnitẽtiam exigant ad normam severitatis minimè vulgaris, hoc reipsâ moliuntur, ut pœnitentiam omnem & potestatem Ecclesiæ ad remittenda peccata aboleant.

Hunc scopum omni Hæreticæ posteritati fixit olim Novatianus Hæresiarcha, negans lapsos ad pœnitentiam admittendos esse. Duritiem tam immanem Sanctus Cyprianus censet

Digitized by Google

censet [a] manasse ex disciplinâ Stoïcorum, quâ erat institutus ille, sed & profecisse potuit in Scholâ Montani: hujus enim spiritu afflatus Tertullianus negavit, [b] recipiendos esse in Ecclesiam, qui lapsi essent in nœchiam, & Montanistas generatim affirmat S. Hieronymus *Ad omne pæne delictum Ecclesiæ obserasse fores.* Hos Magistros Novatiano exprobrans Pacianus [c] *scriptis*, inquit, *tuis pœnitentiam usquequaque damnantibus, secundum Phrygas te sensisse pronuncias.*

[a] Lib. de pudicicia.

[b] Epist. 54. ad Marcellam.

[c] Ad Sympr. epist. 1.

Quàm integros vitæ, & puros sceleris, autumandum est, fuisse homines tam severos! Ipsi quidem se Catharos, seu mundos appellabant: sed parum fidebat Augustinus: [d] "Miseri, inquit, dum in Petro petram non agnoscunt, & nolunt credere, datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt, qui viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores: qui nomen suum, si vellent agnoscere, mundanos se potius, quàm mundos vocarent." Brevius Hieronymus; [e] "Mundos se vocant, cum sint omnium immundissimi, negantes pœnitentiam, per quam peccata mundantur."

[d] Lib. de Agon. christ. c. 31.

[e] In c. 14. Osee.

Movent ea, quæ retuli, Augustini verba, animadverti, non tam dementes vulgò Novatianos fuisse, ut omni spe veniæ à Deo impetrandæ exclusos vellent, qui peccassent. Unũ modò

modò negabant, fas esse ab Ecclesiâ admitti ad reconciliationem, adeoque, ut Augustinus adnotavit, *datas Ecclesiæ claves regni cælorum, seu potestatem remittendi peccata.* *Aiebant enim*, teste Ambrosio,[a] *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservarent.* Ipsos interea lapsos ad plangenda peccata seriò hortabantur, ut indicat Cyprianus.[b]

[a] *Lib. 1. de Pœnit. c. 2.*

[b] *Epist. 52. ad Antonian.*

Hæc ipsa confirmabit nobis Acesius ille Novatianus, de quo in Historiâ tripartitâ hæc lego:[c] "Constantinus Imperator vocavit ad „ Synodum & Acesium Novatianorum religio„ nis Episcopum. Postquam ergo scripta, & „ suscripta est à Concilio fidei definitio, requisi„ vit Imperator Acesium, an & ipse consentiret „ in fide, & Paschalis definitione festivitatis. At „ ille, nihil, inquit, novi, ô Imperator, Syno„ dus definivit. .... Porro denuo Imperatore „ requirente; Cur ergo te à communione sepa„ ras? Ille .... subtilitatem acerbissimæ regu„ læ deduxit ad medium, quòd non oporteat „ eos, qui post baptisma peccant peccato, quod „ ad mortem esse Scripturæ Divinæ pronunciãt, „ communicatione Sacramentorum fieri dig„ nos: sed invitandos quidem ad pœnitentiam; „ spem verò remissionis, non à Sacerdotibus; sed „ à Deo solummodo sustinere, qui potestatem „ habet peccata remittere. Hæc cum dixisset „ Acesius, Imperator ait: O Acesi, pone scalam,

[c] *Lib. 2. c. 13.*

&,

&, si potes, ascende solus in cœlum." Precari idem licet cæteris Rhadamantis Acesio haud absimilibus.

Sed verò planè videtur Hæreticorum Pater Diabolus usu ipso doctior fieri ad omnẽ fraudem. Quis ferat Hæreticam sævitiem, atque omnino *Cainam hæresim*, ut Cyprianus appellat, [a] *quæ non nisi occidere gestit*? Viderunt Novatiani hæredes, & seri nepotes, non se placituros, si fronte retectâ paternam sævitiem spirarent. Nihilo illi mitiores reipsâ; sed tamen fraudem suam eo artificio tractarunt, ut descendisse ad aliquam humanitatem viderentur.

a *Lib. contra Novatian.*

Primum quidem non ipsam pœnitentiam, & recõciliationem cum Deo, & Ecclesiâ damnare aut prohibere; imò contrà prædicare, atque exornare justissimis laudibus, omnesque exhortari, ut remedio tam salutari uti velint. Sed unum sæpe ingemiscere, & fletu hæretico deplorare, nimiam populi Christiani securitatem vanis nixam adminiculis, indulgentiis, cultu Sanctorum, aliisque Pœnitentiam in Ecclesiâ miserè labefactatam esse, subversum esse ejus ordinem, pœnitentiam ipsam pęne subversam: tum verò satisfactionum, atque interioris pœnitentiæ vim prædicare amplis verbis, Sacerdotis verò absolutionem enervare, nullamque agnoscere potestatem absolvendi impium; nisi quem prius supremi judicis sentẽtia absol-

absolverit. His illi gradibus ad Novatiani sævitiem tendunt. Videsne, quàm speciosè? Sed audiamus Hæreticos, ne finxisse fraudem videar nemini metuendam, aut cavendam.

Non fuit hujus fraudis expers Lutherus; etsi ille quidem parum constanter. Simul bellum indixit Ecclesiæ Catholicæ, simul prædicare cœpit arctam cœli viam, & sugillare nimiam populi securitatem de salute suâ. Mitto celebrem Lutheri sermonem de Pœnitentiâ, ex quo suprà [a] dedi quædam. Insignis est ea epistola, quam ad Albertum dedit Moguntinum Archiëpiscopum. [b] "Doleo, inquiebat, „ falsissimas intelligentias populi ex indulgentiis „ conceptas .... credunt infelices animæ, si „ litteras indulgentiarum redemerint, se securas „ esse de salute suâ.... Idcirco tacere hęc amplius „ non debui: non enim fit homo per ullum munus Episcopi securus; cum nec per gratiam Dei „ infusam fiat securus; sed semper in timore, & „ tremore jubet nos operari salutem nostram „ Apostolus: & *Iustus*, inquit Petrus, *vix salvabitur*. Denique *arcta est via, qua ducit ad vitam, &c.*" Hæc ille & amplificat, & alibi inculcat: [c] "Heu, & prô dolor! Quam securi „ sumus hodie, tam infimi, quàm summi, docti, & pariter indocti, tanquam Diabolus sit „ mortuus." Nimiam quoque populi fiduciam in cultu Sanctorum quàm graphicè reprehendit! Tum verò quàm scrupulosum describit modum

[a] Fraude 2.
[b] Raynald. 1547 n. 60.
[c] Declă. pop. in 1. Præcept.

modum colendi ſanctos! [a] Monita quædam ſalutaria de cœlo miſſa legere ſe credat, qui non eſt ſagax. Sed de his mox videro. [a] *Ibidē.*

Lutherum ſuperarunt in prædicandâ pœnitentiâ Anabaptiſtarum coryphæi Pretlanus, Ulmannus, Sadelerus, aliique. "Quidam, inquit Meshovius, [b] depoſitâ veſte in cilicio, & „ cinere nudi per civitatis vicos diſcurrebant, & „ Jonæ Prophetæ inſtar, ultimum urbis exitium „ prædicabant. Væ tibi (ſic clamitaſſe eos Bul- „ lingerus tradit) Tiguro, væ tibi, & iterum „ væ! Pœnitentiam agite: ſecuris ad arborem „ poſita eſt; pœnitentiam agite." „

[b] *Lib. 2. hiſt. Ana-bapt. n. 3.*

Deeſt artificium inſaniis phanaticorum hominum. Aſtu ſubtiliori pœnitentiam tractavit Kemnitius Hæreticus. Primum quidem ritus omnes pœnitentiæ priſcæ inveſtigavit perdiligenter; [c] guſtum præbeant tituli, quos tractationibus bene longis præfixit; *De ritibus publicæ pœnitentiæ, ſive quales fuerint canonicæ ſatisfactiones in veteri Eccleſiâ. Qualis fuerit ratio pœnitentiæ pro occultis criminibus: item pro quotidianis delictis in veteri Eccleſiâ. Canones pœnitentiales ex Concilio Ancyrano: ex Nicæno; ex Burchardo: ex Gratiano.* Conatus planè eſt nihil antiquitatis intactum relinquere ad commendationem pœnitentiæ in veteri Eccleſiâ uſitatæ, colligitq; minutè ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ omnis generis, & libris Patrum, Clementis, Irenæi, Ambroſii, Auguſtini, quæ ad eluci-dationem

[c] *In Exam. Cōc. Trid. de Indulg.*

Digitized by Google

dationem illorum rituum pertinebant. Sed & ostendit, quo tempore, quibus occasionibus in Ecclesiâ declinaverint, ac tandem intercidorint ritus illi. Planè ut materiam dederit copiosam concinnare cupienti compendiosam deductionem in cognitionem originis, vigoris, & declinationis Canonum pœnitentialium, quos vocamus.

Tum veterator quàm egregiè deplorat, defervescente paulatim caritate, remissum esse pœnitentiæ rigorem! quàm sedulò vovet, optatque, revocari, ac restitui ritus tam salutares! *In hoc laborandum*, ait, [a] *fuisse, ut quantum his temporibus fieri posset, tam utilis disciplina Ecclesiæ restitueretur.* Rursus, [b] *Operam dandam fuisse, ut utilissima illa veteris Ecclesiæ disciplina, quæ hisce profligatis temporibus summopere necessaria esset, Ecclesiæ sine conscientiarum laqueis restitueretur.* Rursus, [c] *Optandum sanè ex ritibus illis veteris Ecclesiæ aliquid posse in usum reduci.* Hæc iterat fastidiosè.

a *Ibidē. p. 726.*
b *Ibid. p. 723.*
c *Tit. de Satisf. p. 399.*

Sed inprimis luget, inversum esse pœnitentiæ ordinem: "Etenim, inquit, [d] ante expletum tempus impositæ satisfactionis, non facilè quemquam ad absolutionem, & communionem admitti volebant." Addit admitti consuevisse in mortis periculo. Rursus [e] "Veteris, inquit, Ecclesiæ satisfactiones imponebātur, & exsolvebantur, ante absolutionem." Sed, proh dolor! [f] "Postea collapsis vetustis illis

d *Tit. de Purgatorio p. 533.*
e *Tit. de Indul. p. 724.*
f *Tit. de Satisf. p. 402.*

Digitized by Google

illis satisfactionum ritibus, quorum impletio "ante absolutionem flagitabatur, ortum fuit "aliud genus satisfactionum........... Ille verò "novæ & secretæ satisfactiones post perceptam "demum absolutionem implendæ imponeban- "tur." De hoc verò ille pœnitentiarum Magi- "ster antiquarius dolet, atque indignatur sæpè.

Animadverte autem, quò hæc tendant, fraudemque deteſtare. Cur censes, optare Hæreticum, ut revocato more prisco pœnæ ac mulctę imponantur exsolvendæ ante absolutionem? eam planè ob causam, ut exploretur vera animi conversio, ad Absolutionem necessaria.[a] "Has, inquit, publicas castigationes vetus Ecclesia lapsis imposuit..... "ut his ritibus pœnitentium animi explorarentur, an pœnitentiam simularent, an verò seriò "agerent." Rursus,[b] "ut lapsis essent excitamenta veræ contritionis & seriæ emendationis." Cujusmodi autem contritionis? Talis omnino, ut *operi operato* nihil loci sit super,[c] utque adeo absolutio nihil sit aliud, quàm vox annuntians remissionem peccatorum.[d] Huc reptabat sinuoso volumine serpens iste, Novatiani progenies genuina, utcumque à se detestari conetur hanc invidiam.[e] Desine mirari, quò spectarit apparatus ille ad absolutionem, quem ex veteri disciplinâ Ecclesiæ restitui optavit.

Astum Kemnitii imitatus est, imò promovit

a *Ibid. p. 398.*
b *Tit. de Ind. p. 730.*
c *Ibid.*
d *Tit. de Absolut. p. 395.*
e *Tit. de Pœnit. p. 370.*

movit

movit haud parum damnatæ memoriæ Apostata Marcus Antonius de Dominis in eo libro, quem de Republicâ Ecclesiasticâ scripsit. Primum quidem & ipse, quidquid est antiquorum Canonum, rituumque ad pœnitentiam pertinentium, indagavit acriter. [a] Historiam omnem, Patrumque monumenta vexavit; ubi modo vestigium appareret illius antiquitatis.

[a] Lib. 5. cap. 7.

Tum verò corrasit diligenter & Cypriani, & Ambrosii, & Augustini, & aliorum Patrũ testimonia illa, quibus exaggerari videbatur difficultas veræ conversionis, & peccatorum veniæ obtinendæ.

Sed inprimis hoc agit, contenditque totis viribus, hoc omninò obtinere cupit; ordinem pœnitentiæ inversum esse hoc tempore, & pœnitentiã ipsam subversam: neque enim prioribus Ecclesiæ sæculis datam fuisse absolutionem, nisi satisfactione exhibitâ: optat revocari priscum pœnitentiæ ordinem necessarium ex ipsâ Christi institutione. "Laudo inquit, [b] approbo, & cuiq; fideli commendo, „ ut pro gravium peccatorum remissione re„ currat sponte ad claves, & se ritè ligari faciat, „ pœnitentiámque legitimam Ecclesiasticam „ amplectatur, & per eam quærat habere re„ conciliationem. Atque utinam in nostris Ec„ clesiis talis pœnitentia, talisq; confessio refor„ maretur, & ab ingenti abusu liberaretur. [c] In

[b] Ibid. n. 75.

[c] Ibid. n. 41.

Sacramento

Sacramento auricularis confessionis imago "
aliqua veteris Ecclesiasticæ pœnitentiæ serva- "
ta videtur; sed en tota inversa, totaque per- "
versa est. [a] Ecclesiasticam pœnitentiam, cui " [a] Ibid.
fundamentum jecit Christus, Papatus noster, " n. 37.
ipsiusque Ministri corruperunt horribiliter, "
& cum ingenti animarum deceptione, & pe- "
riculo in aliam transformarunt.......... Satisfa- "
ctionem præposteræ absolutioni postponi- "
mus. [b] Satisfactio semper necessariò præcedit " [b] Ibid.
absolutionem, & fit in gratiam absolutionis " n. 49.
obtinendæ. Perpetuò Ecclesia, nondum in his "
corrupta,......... omnes satisfactiones absolu- "
tioni præmisit. [c] Et in hoc perperam philoso- " [c] Cap.
phatur Bellarminus, dum laudare contendit " 8. n. 3.
abusum intolerabilem absolvendi prius à cul- "
pâ, & postea pœnitentiam satisfactoriam in- "
jungendi.............. Hoc in viro pio & docto "
valde mirandum est, ut quod communissimè "
omnes Patres necessarium esse voluerunt, & "
Ecclesia antiqua perpetuò servavit, id jam "
per turpissimum hysteron proteron, immu- "
tatum, perturbatum, corruptum, laudan- "
dum esse, & approbandum censeat." Hæc "
ille hactenus ad injuriam Ecclesiæ præsentis. Sed penetrandum est profundius in fraudem ipsam.

Quid verò censemus spectasse Apostatam magni commodi in eo, quod absolutionem antecedant pœnæ satisfactoriæ? Id ipse explicuit

Digitized by Google

a Cap. 7. n. 27. explicuit, Kemnitium secutus, his verbis.[a] „ Pœnitentia illa externa Ecclesiastica .... „ eò servit Ecclesiæ, ut illa ante omnia pœnitentiæ internæ, adeo ad remissionem peccati coram Deo necessariæ, per externos fructus notitiam colligat, dum peccator dignos fructus facit pœnitentiæ; ex quibus agnoscat illa, quando rectè, & legitimè solvendus sit pœnitens.[b] Ecclesia satisfactiones has externas per opera pœnalia requirit, tum ad humilitatem peccatoris, & consequenter ad dispositionem pro obtinendâ verâ compunctione, tum etiam ad Ecclesiæ ædificationem.[c] Quod si priscam veram revocaremus pœnitentiam, & satisfactionibus ante absolutionem exerceremus pœnitentes, ut semper fecit Ecclesia, facilè tandem agnosceremus, qui verè pœnitentiam postulent, qui subdolè, neque illos & nos ipsos tam duro vinculo ligaremus.“

b Ibid. n. 49.

c Ibidē n. 86.

Magnâ ratione hæc, inquies: quis neget, rectius perspiciendam conversionem internã isto pacto? Sed tu vide, quò vergant hæc speciosa. Ac primum quidem attende, quàm notitiam internæ conversionis, seu pœnitentiæ requirat ille, ut liceat Ecclesiæ, seu Sacerdoti, pœnitentem absolvere: Moribundorum reconciliationem sine illo pœnitentiæ apparatu prævio ait,[d] " dubiam semper fuisse, quid illa possit prodesse: licet negandam esse Ec-

d Ibid. n. 89.

clesia

clesia non censeat, sed concedendam, ut *valeat*, "
quantum valere potest. [a] Ecclesia internorum "[a] *Ibid. n. 93.*
non est Judex, nisi post externa experimenta, "
per quæ animum inquirit pœnitentis. Cum "
verò tempus non habet eum inquirendi, & "
satisfactionibus explorandi, non potest certò, "
& legitimè suis uti clavibus." Oportet igitur, "
hujus quidem judicio, pœnitentiam internam experimentis fieri certam, ut absolvere liceat extra justam necessitatem, qualis procul dubio est extrema. Intelligo igitur, cur tanto pœnitentiæ apparatu absolutioni prævio, censeat esse opus. Sed & intelligo, Hæreticum à Novatiani sævitie vix hilo jam nunc distare. Nullis experimentis certa fiet unquam notitia conversionis internæ. Attamen in mortis articulo *Valeat*, *quantum valere potest*: tantillum remisit de Novatiani crudelitate.

His nixus principiis idem Hæreticus damnat graviter Ecclesiæ facilitatem ad absolvendum quoddam genus hominum peccatis inveteratum, *quos consuetudinarios* vocat ipse. Dicit [b] "indecentissimum, & perniciosum abusum, singulis vicibus, quoties quis in crimen multiplicatum prolapsus sit, toties eum "
ad pœnitentiam admittere." Hic verò Canonem undecimum Concilii Toletani magnificè ostentat sæpius. [c] Concludit verò, [d] non tam fuisse seriam pœnitentiam, quàm relapsus in eadem peccata citò consequatur; adeoque

[b] *Ibid. n. 86.*

[c] *Ibidē n. 84.*

[d] *Ibidē n. 110.*

Digitized by Google

hoc genus penitentium immiti misericordiâ non tam absolvi, quàm ligari vinculis peccatorum, atque alligari compedibus, & manicis æternis." Et sanè, inquit, [a] sapienter cautum

a Ibidē. n.85.

„ fuit, nè ad pœnitentiam admitterentur, qui „ verè non essent pœnitentes, quique suis per- „ petuis recidivis se peccatum ex animo non o- „ disse ostenderent........ Longè meliùs est pec- „ catores consuetudinarios relinquere propriæ „ conscientiæ, quàm eos vanis iteratis reconci- „ liationibus lactare, & in peccatis cōfirmare..... „ Quod si per aliquot annos sine pœnitentiâ „ Ecclesiasticâ manerent, sic melius proprium „ statum adverterent, & recognoscerent, & se- „ riò tandem compungerentur, ac spontè re- „ medium quærerent veræ pœnitentiæ. Cùm „ verò putent se coram Deo satisfacere, quia „ peccata, quæ adhuc amant, semel in anno „ confessi sunt, & absolutionem receperunt, „ de ulteriori pœnitentiâ nihil sunt solliciti. Et „ hæc est ingens pernicies animarum .... in „ barathrum præcipitans æternæ damnationis. [b]

b Lib. 5. c. 8. n. 10.

„ Nostra facilitas absolvendi, sine necessariâ „ pœnitentiâ externâ......... supinos reddit pec- „ catores, & verâ jam abolitâ pœnitentiâ ani- „ mas in infernum trahit." Hactenus magnus pœnitentiæ Doctor Hæreticus hoc agens, ut non reconcilietur pœnitens, nisi præviis experimentis interior pœnitentia tam sit certa, ut nihil ambigui habeat; hoc est, ut recōcilietur nunquam.

Altiùs

Altius rimanda eſt Fraus, unde multis parata pernicies. Nihilne aliud ſpectarit Apoſtata iſto pœnarum apparatu abſolutioni prævio, niſi ut innoteſcat certò interna pœnitentia? Quamdam agnoſcit [a] Excommunicationem pœnitentialem ab anathemate diverſam, quâ pœnitentes ligentur ab Eccleſiâ, ſeu Sacerdote pœnas ſatisfactorias injungente. Audi igitur quò te ducat. In hâc profectò pœnitentiâ, inquit, [b] "Eccleſia plus utitur clavibus ad ligandum, quàm ad ſolvendum: ad hoc enim potiſſimum datæ ſunt & primariò, ut puram, & ſine rugâ & maculâ ſe conſervet: in ſui enim gratiam ligat. [c] Ad ligandum potiſſimũ & principaliter data eſt clavium poteſtas..... datæ ſunt tamen Eccleſiæ claves, etiam ſecundariò ad adjumentum & conſolationem fidelium." Videsne quò hæc tendant? Non ſentis eſſe conſequens, ut confeſſio peccatoris ad hoc potiſſimum ſerviat, ut ei Sacerdos congruas adhibeat pœnas? Quid de poteſtate clavium ad ſolvendum, ipsâque abſolutione ominaris? Mihi quidem ſuſpecta jam nunc fit vehementer illa Sacerdotum poteſtas ad ligandum, tam amplis verbis prædicata & laudata: agit enim hoc Apoſtata valde operosè.

[a] *Lib. 5. cap. 7. n. 25. c. 9. num. 14 & alibi.*

[b] *Lib. 5. cap. 7. n. 81.*

[c] *Ibid. n. 65.*

Mirum ſi non in ſatisfactiones ipſas magnã partem trãsferat illius virtutis, quam nos credimus ineſſe abſolutioni. Hoc agit planè. "Ego, inquit, [d] ſatisfactionem in Patribus invenio

[d] *Ibid. n. 49.*

 ſæpiſſimè

„ sæpissimè commendatam, & Scripturis con-
„ firmatam, semper tamen video, satisfactionẽ
„ fieri pro culpâ potissimum, & non pro solâ
„ pœnâ, ut perperam nostri volunt .... ita
„ ut satisfactio semper necessariò præcedat ab-
„ solutionem.“ En fraudem Pœnitentiarii Hæ-
retici.

Tandem nihil dissimulat. "Post peractam
[a] *Ibidẽ. n.55.* inquit, [a] pœnitentiam Ecclesiasticam sequitur
„ reconciliatio......... Ac sicut imponere pœni-
„ tentiam est ligare; ita reconciliare est solvere:
„ uterque est actus clavium. Idem verò est re-
„ conciliare, quod pacem dare, & communionẽ
„ restituere, Ecclesiam aperire, veniam, indul-
[b] *Ibid. n.56.* „ gentiã concedere, recipere, &c. Neque Eccle-
„ sia solvere potest, nisi quod ipsa ligavit. [b] Re-
„ conciliatio semper in antiquâ, purâ Ecclesiâ
„ facta est solâ communionis restitutione,
„ tam in publicâ, quàm in secretâ pœnitentiâ.....
„ In secretâ verò reconciliari erat sacræ mensæ
„ participationi restitui.“ Videsnè quam vim
relinquat Sacerdotis absolutioni, & quò se
erumpat æstus ille animi tam immodicè effusi
in satisfactiones absolutioni prævias.

[c] *Ibidẽ.* Accipè clariora. [c] "Absolutioni verbali ni-
[d] *Ibid. n.57.* „ miam tribuimus potestatem. [d] Hæc est ingens
„ pernicies animarum, quas...... absolutionis ex
„ opere operato abusus in barathrum præci-
„ pitat.“

Potestne post hæc dubium esse, quid de
attritione

attritione ex metu conceptâ, ejusq; vi cum Sacramento conjunctæ sentiat ille? Attritio, inquit,[a] ad remissionem non conducit, & illa experimento externæ & longioris pœnitentiæ est probanda. Ac certè, nisi successu temporis, & exercitio humilitatis ex attrito ille fiat contritus, ante obtentam reconciliationem resiliet: quia, qui attritus tantùm est, non peccatum, sed pœnas peccati odit: peccatum verò adhuc amat.......... Et usus nostrarum Ecclesiarum verè est abusus perniciosissimus, ut ad absolutionem admittatur attritus .... Ex quo absolutus verè à nobis deceptus, tunc maximè coram Deo ligatus abit; & qui illum ita præproperè absolvit, ligatus ipse quoque manet miserabiliter, & sic cęci cęcos ducimus, & simul in foveam præcipitamur." Habes coronidem impiæ doctrinæ.

[a] *Ibid. n. 83.*

Mihi verò operę pretium fuit visum orthodoxę fidei amatoribus hoc ordine proposuisse pestilentis fraudis progressum, ac seriem; ut sicubi quempiam in ipso limine perstrinxerit inanis species piæ doctrinæ, is animadvertat, quò illa ducat, exitumque perhorrescat: tum verò doctrinam omnem tam impuris fontibus Hæreticorum profluentem abominetur, atque in suum Barathrum, unde ructata est, releget.

Non credamus fideles esse Mysteriorum Dei dispensatores, quos Divina fides reliquit.

Quò spectasse videtur S. Bernardus, cum de Abailardo, atque Arnaldo Hæreticis Innocentium Pontificem sic docet. [a] "Fundamentum aliud ponitur præter id, quod positum est. De virtutibus, & vitiis non moraliter, de Sacramentis Ecclesiæ non fideliter .... sed cuncta nobis in perversum, cuncta præter solitum, & præterquam accepimus, ministrantur." Et tamen ad Pœnitentiæ ministerium factus videri poterat Arnaldus quidem, cujus austeritatem *neque manducantis, neque bibentis* alibi S. Bernardus exposuit. [b]

b *Epist.* 189.

b *Epist.* 195.

Sed continget faciliùs hoc genus Pœnitentiarios minus in se esse severos. Novatiani quidem erga fratres lapsos implacabilis ignaviam, & mollitudinem in proprio periculo, celebrarunt. Theodoretus pariter, [c] & Cornelius Papa [d] ad Fabium Antiochenũ sic scribens: "Iste persecutionis tempore metu debilitatus, & nimiâ vitæ cupiditate adductus, se Presbyterum esse negavit. Nam cum à Diaconis rogatus, oratusque esset, ut domi, quâ se conclusum occuluerat, egressus, fratres in periculo constitutos, opisque & auxilii indigentes juvaret; tantùm abfuit, ut Diaconis eum obsecrantibus obtemperaret, ut etiam non sine stomacho & bile ab iis abiret, discederetque: nam se nolle amplius esse Presbyterum; sed alteri vitæ generi se dicaturum asseruit." Hæc illi exprobrarunt ii ipsi, quos in persecutione

c *Lib. Hæret. fab. c. 5.*

d *Baron. an. 254 n. 72.*

lapsos

lapſos à reconciliationis Sacramento crudelis repellebat, ut Theodoretus refert.[a]

[a] *Ibid.*

Sed demum, quales ii cumque erga ſe extiterint, non vitabunt Oſee Prophetæ diram imprecationem: [b] *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum:* quem locum pœnitentiariis Hæreticis accommodans S. Hieronymus. [c] *Pereat,* inquit, *hujuſcemodi Samaria: quia quidquid loquitur, repugnat Deo ſuo, &* CLEMENTIAM EIUS VERTIT IN CRUDELITATEM.

[b] *Cap. 14.*

[c] *In Oſee cap. 14.*

FRAUS XIII.

Cultum S.^{mæ} Virginis MARIÆ circumſcribere perangustè, & ſcrupulosè, ſimplicemque pietatem Fidelium erga Dei Matrem arguere impietatis in Deum, atque idololatriæ.

D*Ignare me laudare Te, Virgo Sacrata: Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.* Tu manum dirige, ut hoſtium tuorum ſtrophas adverſum Te ſubtiles rectè veſtigem: Tu ſtylo vim tribue, ut intelligar, & deteſtabilis

detestabilis appareat Hæreticorum fraus omnium pessima.

Arcano quodam Divinæ Providentiæ consilio factum est, si Evagrio credimus,[a] ut vix sit inventus, qui Ecclesiæ bellum indixerit Hereticus, & non idem Beatiss. Virgini hostis extiterit. Tartareo serpenti hereseon suscitatori sedet altâ mente, & quietẽ omnem adimit, divinum Oraculum; [b] *Ipsa conteret caput tuum.* Sed rem ipsam agamus.

[a] Lib. 1. cap. 7.

[b] Gen. cap. 3.

Sanctissimam Virginem MARIAM, Dei Matrem, Dominam nostram, Sanctorum omniũ, & Mundi Reginam, Mediatricem nostram, Advocatam nostram, Vitam, Dulcedinem, & Spem nostram, Peccatorum refugium, Matremque misericordiæ, quibus modis venerentur pii Fideles, vulgò est notissimum. Nunquam non hoc egit ab Ecclesiæ primordiis Hæreticorum pater Diabolus, ut Sanctissimæ Virgini & debitum cultum, & meritissima dignitatum nomina abrogaret? Primum quidem nulla circuitione irruens in caput ipsum, unde cætera dignitas existit, jubensque non esse Dei Matrem. Usus est ad tantum flagitium eorum imprimis operâ Hæreticorum, qui humanitatem Christi spectrum nobis quoddam fecerunt, Phantastici vulgò dicti: in quibus nomen suum sunt professi Cerdo, Marcion, Manes, Manichæus, aliique. Usus itidem eorum impietate, qui Corpus Christo non de virgine deduxerunt

Digitized by Google

deduxerunt; ſed vel de cœlo, aut elementis; ut Apelles, atque Valentinus; vel de ipſius Divinitatis particulâ quâdam in carnem converſâ; ut Apollinaris. Uſus eſt denique eorum furore, qui in ipſam Chriſti Divinitatem incurrerunt adverſarii; Judæorum videlicet, Carpocratianorum, Cerynthiorum, Nazaræorum, Ebionitarum, Helceſæorum, Arianorum; ſed imprimis Neſtorianorum, ſpoliato ſua Divinitate Chriſto, fronte apertâ incurrentium in Dei Matrem. His olim Tartareus ſerpens, non tam fraudibus, quàm furiis, valuit nocuitque. Sed denique callidius noſtrâ ferè ætate, ut verecundior in ſpeciem, ſic reipsâ impudentior prodiit, neque minus nocens, agnitam Dei Matrem honore ſpolians Dei Matris, & Mundi Reginæ diripiens regni tanti inſignia, atque ipſam, quod in ſe eſt, in ordinem redigens.

Vide autem, quo id artificio, & quàm ſubtili fraude. Audi Lutherum Hæreſiarcham, primũ Diaboli organum: [a] "Eo ipſo, quòd MARIA Dei Mater facta eſt, tam præclara, & ingentia bona ei data ſunt, ut ſuperent captum cujuſcumque. Hinc enim omnis honos, ac beatitudo provenit, ut in univerſo humano genere unica perſona ſit ſuperior cunctis, cui nemo ſit par, quod cum cœleſti Patre filium habeat communem" Lutherumne loqui credas hæc audiens, & non Bernardum potius,

[a] *Ad Cõmen. super Magnificat*

aut

aut quempiam ex iis Patribus, qui deliciosius in Mariæ laudibus sunt versati? Diffundit verò orationem illud tractans; *Fecit mihi magna, qui potens est*: "Talem ait, ac tantum honorem in hâc Matris Dei nomenclaturâ contineri, nemo ut majora de illâ prædicare possit; etiamsi tot linguas habeat, quot flores terra, stellas cœlum, mare arenas sustinet: alto igitur corde perpendendum esse, quid sibi velit, Dei esse Parentem." Quid censes de hoc Encomiastâ Mariano? Mihi verò suspectæ sunt Mariæ laudes in ore hæretico. Suspicionem eximat, si potest, argumentum limatissimæ pietatis in Beatam Virginem, quod his verbis expressit: [a] "Dignum, & justum erat, Mariæ personam ab originali peccato præservari, de quâ Christus sumpturus erat carnem, quę omnia peccata superaret." Mariam à primo conceptu gratiâ plenam fuisse significat. Ne ista quidem ab Hæretico pronunciata suspicionem abstergent; imò portendunt hæc ipsa funesti quiddam, ausumque truculentum in Dei Matrem. Hujus dignitatem, atque excellentiam prædicant, atque extollunt, ut tantò indignius dehonorent, quam omni honore dignissimam exhibuerint. Neque tamen id ita nullo artificio exequuntur, ut fœditas facinoris primo aspectu observari possit.

[a] *In Postilla majori circ. Evãg. fest. Cõcep. Maria.*

Etenim primum quidem religione quâdam in Deum commoveri se simulant, ne approbent

bent communem Fidelium pietatem colentium Dei Matrem. Etenim ſitne pulchra dilectio, quæ Deo non tribuat omnia, quæ Chriſto detrahat, quò MARIAM ornet? Quæ & Omnipotentiam quandam comminiſcatur Dei Matris, ipſamque colat, ut Deam? Hâc larvâ religionis tectus hoſtis Beatiſſimæ Virginis ad nos prodit Lutherus. [a] "Nonne, inquit, hoc eſt Chriſti gloriæ detrahere, quòd Creaturæ tribuamus ea, quæ Dei ſunt, eique ſoli competunt? Volumus ei etiam titulum gratioſæ Dominæ tribuere, nec invidere honorem, quo eam Deus dignatus eſt. Verùm, ut ex eâ Deam quandam, & idolum faciamus, hoc non placet." Alibi [b] exclamat, & dolet, "omnes ſe ad MARIAM conferre, & plus favoris, & gratiæ ab eâ expectare, quàm à Chriſto ipſo."

[a] *In Poſtilla circa Evãg. de feſt. Nativ Mariæ*

[b] *In poſtilla circa Evãg. de feſt. Annun. B. Virg.*

Videſne, Lector, quàm ſubtili filo, quàm tacito gradu, & quo tandem nos ducat ille? Egregia MARIÆ præconia excipit ſcrupulus quidam, ne quid Deo detrahatur: mox innocuam Fidelium pietatem interpretatur ſuperſtitionem quandam pro Deâ colentium Dei Matrem; quo hoc planè agit, ut eidem abrogetur cultus ille omnis, quem ſibi proprium vindicat dignitas Dei Matris.

Atque hîc quidem, ut alibi, Lutherizavit Eraſmus; niſi Eraſmizaſſe Lutherum malis dicere, eò plerumque promptum irruere, ubi

modò

Digitized by Google

modò innuisset Erasmus. Quamquam adversus MARIAM Erasmus nihil innuit timidè, aut verecundè. Fidelium pietatem erga Dei Matrem irrisit salsissimè, nusquam alibi Luciano similior. Studuit tamē enimverò haud inverecundus videri. Etenim & Pæana texuit Marianum,& Liturgiam condidit Lauretanam, aliaque scripsit ad commendationem Virginis, quæ sine pietatis sensu legat nemo. Sed tu ne fide, Lector, his Encomiastis. Hic ille idem est Erasmus, qui libellum scripsit, quo Dei Matrem inducit expostulantem adversus Cultores suos, atque monentem minimè salutaria Epistolam MARIÆ appellavit ad Glancoplutum, [a] quâ nihil in MARIAM ipsam, ejusque pios clientes esse potest propudiosius: Epistolam expressit hæretica religio, ne plus æquo spei, ac fiduciæ collocetur in Dei Matre, ad Dei ipsius injuriam. Tanti mali timorem religioso viro incutiebat Patrum persuasio; nihil Deum negare Matri petenti. Hic idem ille est Erasmus, quem non puduit in eo colloquio, quod naufragium inscripsit, ridiculam facere naufragantium pietatem, quâ MARIAM invocat *Stellam maris*, *Reginam cœli*, *Dominam mundi*, *Portam Salutis*: offendebant Erasmum meritissimi honorum tituli eâ potissimum causâ, quod *eos nusquam* MARIÆ *tribuerent sacræ Litteræ*: en scrupulum hæreticum Encomiastæ Mariani à Luthero instituti, si non Lu-

[a] *Extat in Colloquio Peregrinatio.*

Lutherum ipſe inſtituit.

Hujuſmodi Protheos laudare pariter, ſuasque ſpoliare laudibus Dei Matrem, paratos, exhibere promptum ſit Calvinum, Oecolampadium, Bucerum, Bullingerum: ſed nos quod chartæ eſt reliquum, demus contemplandæ religioni hæreticæ, quâ de MARIÆ cultu, & honoribus ringuntur illi.

Flagrant omnes Hæretici, ſimulant, inquam, ſe flagrare, miro ſtudio liquidiſſimè excoquendi caritatem omni terreno vitio: hoc ſtudio feroces Fidelium pietatem erga Dei Matrem ad injuriam Dei rapiunt. Hîc ad terrorem ſimplicium Paulinum iſtud [a] intentare gaudent, *Soli Deo honor, & gloria:* quis hunc locum Hagiomachus præteriit? Hîc periculum exaggerant pravæ diviſionis humani cordis, quâ fiat, ut præter Deum aliquid ametur. Infinitus ille eſt ſcilicet, atque infinitè amandus, omnem jure ſuo poſtulans à nobis, atque omnem abſorbens amorem. O miſer! Nonne vides? Nonne ſentis, hominem te amare, & planè Ancillam Domini, cum Matrem Dei amas? Vide etiam, atque etiam, ne quid terrenæ fœcis amor iſte admixtum habeat: non eſt pulchra dilectio, quæ Deo non tribuit omnia. Res eſt magni periculi plena.

[a] *1. Tim. 1.*

Fabulam expoſuit Martini Lutheri in iis Commentariis, quibus Canticum Marianum deturpavit. [b] Terrorem auxit Calvinus

[b] *Comment. ad Magnif.*

atro-

Digitized by Google

a In cap 2. Ioan. [a] *atrocem in* Mariam *ipsam injuriam* interpretans, *Deo eripere quod suum est*. His illi præceptis simplicem pietatem Fidelium turbare gaudent.

b Ps. 13 Sed planè impii [b] *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Periculum nullum est Dei Matrem non amandi castissimè. Nemo fideles inter tam brutus homo est, qui Dei Matrem amet, colatve, nisi quia Dei Mater est, qui amor, cultusque non potest non referri in Deum ipsum. Tendit omnino (quis hoc non videt?) ista Novatorum religio ad insaniam Begardorum, qui, ut explicui suprà, [c] caritatem affectarunt usque eò expurgatam omni fœce creatâ, ut nefas sibi ducerent, Deum amantes ullam admittere cogitationem Sacratissimæ Humanitatis, & Passionis Christi. Periculum est scilicet, ne amor Dei Matris hæreat in re creatâ; quia denique res creata est Dei Mater: est igitur & periculum, ne is amor, quo Christus amatur, hæreat in Humanitate; quia denique homo est Christus. Apage satanicos scrupulos, atque omnis sinceræ pietatis perturbatores.

c Fraus 11.

Attamen studium præ se ferunt admirabile vindicandi excellentiam Christi Servatoris. Quàm metuunt, ne Christo detrahat Fidelium pietas erga Christi Matrem. Quam severè ultum eunt, si quid hîc peccatum videatur; imò si quid commenti sint peccatum esse!

Audi

Digitized by Google

Audi Calvinum. [a] Eò progressus est vesanus furor, ut Christi propemodum nudati spoliis, eam ornarint: quasi verò non habeat, quantum illi honoris debetur; nisi Dea fiat; aut hoc illi sit honorificum sacrilegis titulis ornatam in Christi locum subrogari.

[a] *In cap. 2. Ioan.*

Quænam verò ea sunt spolia, quibus Christum nudant pii Fideles, ut ornent Christi Matrem? Imprimis indignantur Misericordiam Christo detrahi, atque in MARIAM transferri: solam Christo justitiam, ac judicium relinqui: Christum cogitari nonnisi judicem severum; MARIAM verò Misericordię Matrem, atque hanc cum Matre imperii sui divisionem instituisse Christum. Hæc aliaque seriò expostulavit Philippus Melanchton, [b] Isaacus Causabonus, [c] Martinus Kemnitius, [d] Andreas Rivetus, [e] aliique vulgò Lutherum, atque Calvinum secuti Discipuli. Melanchtonem audiamus: "Res loquitur ipsa, inquit, quòd publicâ persuasione Beata Virgo prorsus in locum Christi successerit. Hanc invocarunt homines, hujus Misericordiæ confisi sunt, per hanc voluerunt placare Christum; quasi is non esset propitiator; sed tantùm horrendus judex, & ultor." Tanti criminis infamiam gaudet Rivetus imponere Orthodoxis scriptoribus Jacobo de Voragine, Bernardino de Bustis, Gabriëli Biël, Blasio Viegas. Trepidant verò ad criminationem hæreticam boni viri, ut quidem

[b] *In apol. Confess.*
[c] *Ad Card. Perron.*
[d] *In Examin. Conc. Trid. de Invocat. sanct.*
[e] *Lib. 2 Apol. pro sanctis c. 2.*

quidem se perhiberi volunt; sed & trepidasse, & piorum scriptorum causam destituisse dicitur vir egregius pietate, & doctrinâ Perronus Cardinalis. Certè quidem non trepidavit Responsiones Britanniæ Regis confutans.

[a] *Lib. 5. replic. cap. 2.*

[a] Non prætericrat Rex cavillationem Hæreticis familiarem: "Sunt qui docuere publicè, „ JESUM Christum reservasse sibi severitatem ju„ stitiæ, atque Beatæ Virgini reliquisse gratiam „ & misericordiam." Quò se verteret Perronus? Satis habuit respondisse id, de quo nulla fuit dubitatio piis Scriptoribus, & merita & intercessiones, adeoque & miserationes Sanctorum, nullâ penitus exceptione, fundamentũ habere necessarium ipsius Christi merita, intercessionem, atque adeò inexhaustam misericordiam: Pluribus ille ibi quidem haud est dignatus cavillationem frivolam.

Quàm vereor, nè Hæreticorum vociferatione perculsi homines minimè mali causam destituant Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis. Nihil hic moratus invidiam hæreticam, postquam variè applicuisset Beatissimæ Virgini historiam Estheris Reginæ.

[b] *In Præfat. ad epist. canon.*

[b] "Hanc vir„ gam, inquit, auream Deus Pater nobis exten„ dit, quando in caritate maximâ, quam ad nos „ habebat, Filium passioni exposuit. Humani„ tatem ejus Virgo Beata tetigit, quando Filium „ Dei in utero concepit, & postmodum peperit, „ & sic dimidiam partem Regni Dei impetravit,

ut

Digitized by Google

ut ipsa sit Regina misericordiæ, cujus Filius "
est Rex justitiæ." Frontem contrahet severior "
Cato quispiam hæc postrema legens. Quin potius, si pius est, Gersonem imitatus, temperamentum adhibet intellectâ voculâ molliente, quàm & scriptorum pietas, & doctrina, resque ipsa, & sermonis contextus per se ingerunt legentibus;[a] "Habet, inquit Gerson, MARIA virtutem influxivam super omnes, " Principatum habet dimidium Regnum Dei, " si sic dici potest, sub typo Esther, & Assueri: " Regnum quippe Dei consistit in Potestate & " Misericordiâ, Potestate Domino remanente, " cessit quodammodo Misericordiæ pars Christi Matri, Sponsæque regnanti. Hinc ab Ecclesiâ totâ Regina Misericordiæ salutatur." "

[a] *Tract. super Magnificat*

Si verum quærimus, ringuntur Hæretici, & *Reginam* dici MARIAM, & *Misericordiæ Reginam*, & *Reginam cœlorum* ab Ecclesiâ ipsâ salutari: calumniis scilicet iisdem est obnoxia hæc salutatio, quibus illa Regni divisio celebrata piis scriptoribus. Non dissimulavit dolorẽ Lutherus; sed pœnas impietatis Cocleo[b] justissimas dedit. Mirum est, non displicuisse Hęresiarchę appellationem *Gratiosæ Dominæ*,[c] nosque adeo ejus mancipia dici passum esse. Relinquere voluit discipulis, quo impietatem augerent.

[b] *In confut. ar. 91.*

[c] *In Postilla circa Evãg. Nativitatis Mariæ.*

Imò, si verum quærimus, Religiosi homines quamdam metuentes ex æquo divisionem

Regni Christi, cum historiam Assueri atque Estheris pro symbolo applicatã vident Christo, ejusque Matri; hoc dolent reipsâ, credi à piis Fidelibus, quod Sanctis Viris Germano, Bernardo, Bonaventuræ, Alberto Magno, aliisq; tam fuit familiare, *nihil nos habere Christũ voluisse, quod per* Mariæ *manus non transiret:*[a] *Cellariam* quamdam, ut Albertus loquitur[a] *totius Trinitatis esse* Mariam, *quæ de vino Spiritus propinat, cui vult & quantum vult, & quando vult.* Quid enim? Sic à nobis coli Dei Matrem, ac si non daretur aditus ad Deum per Christum sine ipsâ? [b] *Vnus est Deus, unus & mediator Dei & hominum Christus* Jesus. Quis hæc non torsit Hæreticus in Mariæ cultores? Sed illos quidem, uti sua induravit superbia ad eos pietatis sensus, quibus liquidissimè perfundebantur sancti Scriptores, sic & excæcavit, ne intelligerent, ad commendandam Christi Misericordiam nihil dici posse efficacius, quàm esse ab eo delectam Matrem, cujus esset proprium munus misereri, atque omnino decretum misereri, cujus ipsa misereretur.

a In cap. 2. Cant.

b 1. Tim 2.

Quid mirum post hæc, scrupulum pati fastidiosos homines in appellatione *Mediatricis*, & *Advocatæ nostræ*? Impium Lutheri scrupulũ exagitavit egregiè Coclæus[c] "Dic quæso, Luthere, cum Pater omne judicium dederit Filio, quam possumus apud Filium judicem habere meliorem

c In Confut. art. 91.

meliorem Advocatam, quàm ipsius Matrem? Adeone vilis in conspectu Filii sui videtur tibi, ut stante te coram tremendo illo judice, nihil pro te loqui audeat? .... Ego verò libenter, & magnâ spe cum Ecclesiâ dico: *Eia ergo Advocata nostra.*

His, aliisq; puncti aculeis severiorum Scriptorum Hæretici, solemne suum adhibent, ut ex antiquis hæresibus arripiant quampiam, cujus & nomen & infamiam Adversariis impingant. Nihil verò habent promptius, quàm ut Marianos cultores Collyridianos usque & usque vocitent, Hæresim Collyridianam mulierculis potissimum pro terriculo objiciunt. Cavete miseræ, ne Deo detraxeritis, ut Dei Matrem honoretis; sicut olim Collyridianæ mulieres, quarum pietatem impiam Epiphanius damnavit. [a] Hoc terroris genus piis mentibus quis non intentavit Hæreticus Mariani cultus hostis? Intentarunt Bugenhagius, [b] Heerbrandus, [c] Marbachius, [d] Gallasius, [e] Selneccerus, [f] & alii hoc genus monstra. Operosissimè verò terrorem instauravit Kemnitius [g] Lutheri pariter & Calvini discipulus. Sed ridiculos facit Epiphanius ipse, hæresim exponens stultarum mulierum, quæ pro Sacerdotibus se gerentes Collyridas quasdam, seu placentas tortiles Sacrificio libabant Dei Matri, haud

a Hæres. 79.
b In Ionam.
c In disput. sint ne puniendi Hæret.
d Lib. de Miracul.
e In lib. 5. Irenæi.

f In Evang. fest. Annunt. *g In Exam. Concil. Trid. de invocat. Sanctorum.*

Digitized by Google

haud secus, atque illæ apud Jeremiam [a] *Mulieres conspergentes adipem, ut facerent placentas Reginæ cœli, & libarent Diis alienis*: his enim illas similes facit. Facessat igitur inanis terror, & satis habeant Hæretici, se & esse, & dici Antidicomarianitas, quibus nihilo placatior fuit Epiphanins, [b] quàm Collyridianis.

Sed illi verò causam universam non obtinentes, quam vellent aboleri saltem MARIÆ cultum illum, quem Hyperduliam scholæ vocant, secutæ principes Theologos S. Thomam, [c] S. Bonaventuram, [d] aliosque. Quam vellent non solùm extingui rem, sed & supprimi, penitusque obliterari nomen ipsum! Prô quantum periculi est, nè Dulia tua degeneret in Latriam! Quid autem, ne Hyperdulia? Rem ipsam luget, ut desperatam Heshusius, [e] ex Lutheri disciplina inter capitales Põtificiorum errores recensens vulgarem distinctionem Latriæ, Duliæ, atque Hyperduliæ: nihilo segnius dictinctionem oderunt Beza, [f] Humfredus, [g] aliique à Calvino facti Novatores.

Hîc verò timidus quispiam impiorum vociferationi hoc tribuat, ut Hyperduliam MARIÆ debitam haud aliam agnoscat, nisi cultum quemdam sublimiorem, quem sibi vindicet sanctitas, atque virtutes MARIÆ tam sublimes. Sed nos enimverò cum Angelico Doctore [h] confiteamur altè & liberè; *In quantum ipsa*

a *Cap. 7.*

b *Hæres. 78.*

c *2. 2. q. 103. art. 4. Itẽ 3. p. q. 25. art. 5.*

d *In 3. d. 3. q. 3*

e *Lib. de Err. Pontif.*

f *In annot. ad cap. 4. Matth.*

g *Lib. de interpr. linguar.*

h *3. p. q. 25. art. 5.*

Digitized by Google

ipsa est Mater Dei, ideo debetur ei Hyperdulia. Ringantur, rumpantur Hæretici; [a] *Hyperdulia est potissima species Duliæ: maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum.* Auctarii loco addamus cum Cajetano, hanc Hyperduliam inter omnes Christi Consanguineos deberi, "soli Beatæ Virgini, quæ sola ad fines Deitatis propriâ ratione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit, & lacte proprio pavit." His ego quidem nihil decerpam in gratiam Hæreticorum.

a 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2.

Non prætereamus delicias pessimorum hominum, quosdam scilicet Evangelii loculos, quibus Christum Matri suæ, ejusque piis clientibus iratum exhibere student: [b] *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* [c] *Quæ est Mater mea, & Fratres mei?* [d] *Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Nullus est Hæreticus MARIÆ hostis, quem non delectet hæc exprobare clientibus Marianis. Quid ad hæc fervidi illi, quales se jactant Virginis amatores? Frigidène MARIAM amare convincuntur, qui eam facere horrent Deam subalternam? Frigidusne amator Matris suæ fuit Christus? Hæc ipsa Calvinus in Marianos cultores debacchatus pridem est: & quis non Hæreticus MARIÆ hostis? Sed Calvinum audiamus ad verba illa; *Quid mihi & tibi est mulier?* [e] "Cur inquit, Matri præcisè negat........

b Luc. 2.

c Marc. 3.

d Ioan. 2

e In cap. 2. Ioan.

Digitized by Google

„ nec eam jam Matris nomine dignatur? Ne
„ homines nominis Materni honorem super-
„ ſtitioſè in Maria evehendo, quæ Dei pro-
„ pria ſunt, in ipſam transferant........... Ne im-
„ modicus Matris honor Divinam ſuam glo-
„ riam obſcuret. Porro quàm neceſſaria hæc
„ admonitio fuerit, ex craſſis, fœdiſque ſuper-
„ ſtitionibus, quæ poſtea ſecutæ ſunt, conſtat.
„ Facta eſt enim Maria Regina cœli, ſpes,
„ vita, & mundi ſalus........... Cumque has ex-
„ ecrabiles in Filium Dei blaſphemias damna-
„ mus, maligni, & invidi vocamur; imo impro-
„ bè columniantur Sanctæ Virginis honorem
„ hoſtiliter à nobis impugnari.“ Prô Divinæ
„ mentis veſtigatorem ſagacem! Quàm acutè
vidit Calvinus, hoc egiſſe Chriſtum verbis illis, ut Calvinianis in Mariam blaſphemiis pariter & in Mariæ cultores calumniis faveret? Chriſtus non ſolùm Mariæ, ſed & Dei Filius, & Deus ipſe, iſque Meſſiæ, Summique Sacerdotis fungens munere, duriuſculè viſus eſt Matrem allocutus. Hoc ſatis eſt Calvino, ut autoritatem ſibi uſurpet majorẽ, quàm Chriſtus ipſe: & Matrẽ Dei exuat omnino & titulis, & inſignibus Dei Matris, abrogetque omnem eum cultum, quem eidem Chriſti Eccleſia detulit uſque ad Calvini ætatem. Chriſtus inſigni antonomaſiâ *Benedictam inter mulieres* Matrem ſatis habuit appellaſſe *Mulierem*; uti & ſe *Filium hominis*, ſolicitus

ſolicitus, ne quis Apellem, aut Valentinum Calvini majores ſecutus, negaret Chriſti corpus ſumptum de muliere. Hoc ſatis eſt Calvino, ut affirmet, verum MARIÆ Filium dedignatum eſſe Matris nomine agnitam Matrem, atque hoc ubi eſt auſus, expoſtulare haud erubeſcit, hoſtiliter à ſe impugnatum dici Sanctæ Virginis honorem.

Ne commovere, Chriſtiane, Hæreticorum quærimoniis, quibus illi abundant, ſuas ubi fraudes detectas ſentiunt. Imò vide, quò tendant. Paria Calvino auſus Lutherus iisdem fretus Chriſti verbis. Quid autem Lutheri diſcipulus Philippus Melanchton? Magiſtri impietatem ſupergreſſus, locum Evangelii, *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Paraphraſi donavit,[a] quam nemo pius audiat ſine horrore: "Chriſtus, ait, Matrem rejiciat, ut æquet aliis hominibus, cùm inquit, Quid " mihi tecum eſt mulier? Quaſi diceret, quia " Mater es, ideo videris alicujus prærogativæ " merito à me impetratura. Ideo ſcias, te " non plus eſſe apud nos, quam vel mulier pec- " catrix eſt, vel ſyrophænïſſa: tantum impetra- " bis, quantum credes miſericordiæ." Hæc ille. " O propudium! O probrum! Huc ducunt illi religioſi, timidique, ne quid Chriſti honori detrahat cultus Marianus. Hoc agunt, ut Chriſtum exhibeant in Matrem incitatum immodera-

[a] *In cap. 2. Ioan.*

Digitized by Google

moderatione tantâ, ut eam redigere in ordinem videatur, non tantum vulgarium; sed & criminosarum mulierum, & Syrophœnissarũ. Hoc agentes si quis modò arguerit, ut impugnatores Mariani honoris, expostulare audent de injuria. O impudentiam hæreticam!

Sed neque contenti Christum Matri adversum, atque infensum constituisse, ipsam in se, & clientes suos Dei Matrem armare satagunt, Direptis fœdissimè insignibus Marianis, ac neque *Cæli Reginam*, neque *Matrem Misericordiæ*, neque *Mediatricem*, & *Advocatam nostram* dici sustinentes, unum deperеunt titulum *Ancillæ Domini*, & *Conservæ nostræ*. Hìc verò se efferunt magnificè, ipsâ freti autoritate Dei Matris. Hæc ab Angelo salutata satis habuit *Ancillam Domini* se dicere: titulum sibi carissimum illigavit in suum Canticum *Respexit humilitatem Ancillæ suæ*; quâ demissione cum hoc merita sit Virgo, ut exquisitissimis laudibus à nobis extollatur, hoc reipsâ obtinuit ab Hæreticis, ut intra omnem modum simplici; ac jejuno laudis genere se putent defungi posse; imò ut præter vilitatem, ipsumque *nihil*, ex quo est condita, contemplandum sibi aliud in Dei Matre non proponant.

Cantus Virginis laudator Martinus Lutherus verba illa tractans; [a] *Respexit humilitatem Ancillæ suæ*, sic nos laudare Virginem docet.

[a] *Comm. super Magnif.*

"O Beata & Virgo Parens Dei, quàm omnino nihil, & contempta fuisti! Attamen propitios in te defixit oculos prædivitesque Deus, ac magnifica in te operatus est, quorum ne uno quidem unquam digna fuisti." Mox verò plus aliquid laudis in Virgine conferentes *vaniloquis nugatoribus* accenset, imò *idolum sibi fingentibus*.

Inducit alibi loquentem Beatam Virginem ad cultores suos, & monentem salutaria scilicet: [a] tum verò orationis Marianæ summam contrahit ad hæc pauca: *In summa ego nihil sum*. Hanc nobis materiam laudandi Virginem reliquit.

[a] *Conc. 2. de fest. Visit.*

Vide etiam, quàm specioso obtentu Hæresiarcha modum præscribat laudibus Marianis tam restrictum. Sic laudanda est MARIA, ut per eam ad amandum Deum assurgat animus. "Si cui hanc, inquit, vero honore condecorare animo sedet, peropus est, ne solam pectori suo objiciat illam .... longè infrà Deum eam collocet, ejusque abjectionem aspiciat: dein abundantem gratiam admiretur Dei, qui adeò vilem, nihilique hominem, tam largè, clementerque aspicit, complectitur, & benedicit, ut vel sic ex eo conspectu commoveare ad laudem, & amorem Dei." Quàm pius erga Deum est Lutherus, ut aboleat Fidelium pietatem erga Dei Matrem! Actum sit nimirum de caritate erga Deum; si propter exi-

Digitized by Google

exiguitatem, vilitatem, & iſtud *nihil*, quo valde delectatur Hęreticus, contemplemur aliquid in Sanctiſſimâ Virgine, quo eam intelligamus *Reginam, Matremq; Miſericordiæ, Mediatricem, Spem, Vitam, & Dulcedinem noſtram.* Hæretica cæcitas modum non videt aſſurgendi ad amorem divinum, niſi ex contemplatione *Nihili Mariani.* Si etiam ut *Ancillam Domini*, & *Conſervam noſtram* laudarint, ô quàm metuunt, ne quid labeculæ aſperſerint caritati! Satanicam religionem faceſſere jubeant Magiſtri ſanctiores, modoſque doceant præſtantiores acuendæ caritatis, ex contemplatione excellentiæ Marianæ.

Sed imprimis abſinthium hæreticum melle ſuo diluat Bernardus: [a] "Intuere, ô homo, „ (intuere ô hæretice) conſilium Dei, agnoſce „ conſilium Sapientiæ, conſilium pietatis. Cœ- „ leſti rore aream rigaturus, totum vellus prius „ infudit. Redempturus humanum genus, pre- „ tium univerſum contulit in in MARIAM. .... „ Altiùs intuere; quanto devotionis affectu à „ nobis eam voluerit honorari, qui totius boni „ plenitudinem poſuit in MARIA: ut proinde, ſi „ quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid „ ſalutis, ab eâ noverimus redundare....... Tolle „ corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, „ ubi dies? Tolle MARIAM hanc maris ſtellam, „ maris utique magni, & ſpatioſi, quid niſi cali- „ go involvens, & umbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ

[a] Serm. de Aquaductu.

tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis "
cordium, totis præcordiorũ affectibus, & votis "
omnibus MARIAM hãc veneremur: quia ſic eſt "
voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per "
MARIAM........ Ad Patrem verebaris accedere: "
JESUM tibi dedit Mediatorem..... Forſitan & in "
ipſo Majeſtatẽ vereare Divinam: Advocatam "
habere vis & ad ipſum? ad MARIAM reccurre.... "
Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro re- "
verentiâ ſuâ. Exaudiet utique Matrem Fil[illegible]s, "
& exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccato- "
rum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc "
tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtne Fi- "
lius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? Non "
audire, aut non audiri Filius poteſt? Neutrum "
planè." "

Rumpantur hæc audientes Lutheri, & Calvini diſcipuli, atque hæc ipſa præeunte Luthero,[a] & Calvino[b] ad cõtumeliam rapiant Chriſti pariter, ejuſque Matris. Ad hæc ruinam caritatis erga Deum lacrimis hæreticis deplorent. Tu, Chriſtiane, Bernardo auſculta ex Patrum ſenſu, ipſiuſque Eccleſiæ locuto. Tibi ad Deum, ejuſque amorem ſcala ſit certiſſima Excellentia Mariana. *Totis medullis cordis, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus,* MARIAM *venerare.*

Mitte ridiculum timorem, ne tenerius MARIAM ames, quàm Deum. Scrupulus eſt Lutheri[c] deteſtantis ſuave Cãticum *Salve Regina*; cùm

[a] *Comm. ſup. Magnific. & Conc. 2. in feſt. Viſitat.*
[b] *In cap. 2. Ioan.*
[c] *In Evang. de feſt. Nat. Mariæ.*

cùm aliis de causis, tum quia *dulcedinem nostram* exhibet nobis Mariam. Nihil hic scrupuli est passus Bernardus, Anselmus, Bernardinus, Bonaventura, & alii hoc genus deliciosi Scriptores Mariani. Indulgeamus suavitati, quam propinat Bonaventura, eamdem (cæteri propinant) dicamusque. [a] "O Magna! O Pia! " O multum amabilis Maria! Tu nec " nominari quidem potes, quin accendas, nec " cogitari, quin recrees affectus diligentium te. " Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi in" sitâ piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc " sequimur te, ô Domina, ex totis præcordiis, " &c." Cum eodem Bonaventurâ [b] ipsum nomen Mariæ, & verba labiorum ipsius, pleni suavissima dulcedine recolamus tanquam *favos mellifluos*, tanquam *stillas mellis*, *&c.* Cum Ecclesiâ ipsâ Lutheri scrupulum contemnente accinamus Mariæ; [c] *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, [d] *Favus distillans labia tua, Sponsa, mel, & lac sub linguâ tuâ, & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Perfruamur hâc dulcedine largiter suspirantes cum Ecclesiâ; *Salve Regina Mater Misericordiæ, Vita, Dulcedo, & Spes nostra salve.*

[a] *In Panegyr. ad B. Virg.*

[b] *In Speculo c. 4. & 6.*

[c] *Cāt. 1.*

[d] *Cāt. 4.*

Neque vereamur, ne huic dulcedini libantes bonas horas, plus temporis, aut precum Mariæ impendamus, quàm Deo. Scrupulus est Melāchtonis [e] à Luthero edocti. Bernardo auscul-

[e] *In Apol. confessionis.*

auſcultemus.[a] "Ne avertas oculos ab hujus ſideris fulgore, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum........ reſpice ſtellam, voca MARIAM............ Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita MARIAM. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde."

[a] *Hom. 2 super Miſſus eſt.*

Scrupulos Hæreticorum, ne vel tenerior ſit amor, vel impenſius ſtudium erga Dei Matrem, quàm par eſt, abſtergat omnes dictum ſapiens Bernardi.[b] *Sic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per* MARIAM. Item Ruperti.[c] *Scimus, quia totus honor impenſus Matri ſine dubio redundat in gloriam Filii.* Non honoratur ſcilicet, niſi quia talis Filii eſt Mater; ac ne metuendum erat quidem, ne aliter honoraretur Bernardi, aut Ruperti ætate, ac ne noſtrâ quidem. Unum hodie periculum eſt ab idolis mentis, quæ adorantes Hæretici, nihil habent promptius, quàm idolum noſtrum fingere Dei Matrem.

[b] *Serm. Aquæduct.*

[c] *Lib. 6. in Cant.*

Sed quàm graviter peccavit Bernardus etiam ſceleratos homines invitans ad cultum Marianum! Sitne ſpecioſa laus in ore peccatoris, aut dilectio pulchra in corde ſubdito peccatis? Scrupulum de Calvini grege Doctoris Andreę Riveti[d] abſtergat Sophronius:[e] "De tali, tantâ-

[d] *Apol. pro Mariâ l. 2. cap. 15.*

[e] *Ser. de Aſſump. tom. 9. operum S Hier.*

„ tantâque MARIA loqui me indignum fateor:
„ sed & puto, quod nemo sit, qui præsumat; nisi
„ qui, quanta sint, quæ panduntur, penitus ig-
„ norat. Tamen etsi ad hæc nemo idoneus in-
„ venitur; votis omnibus cessare non debet
„ ETIAM QUILIBET PECCATOR à laudibus, quam-
„ vis explere non queat, quod sentit........... Et
„ quamvis non sit speciosa laus in ore peccato-
„ ris, noli cessare à laude: quia inde tibi promit-
„ titur venia; unde & omnibus, ut laudes.“

Abrumpamus Fraudem hæreticam omniũ pessimam; sed non sine protestatione tot Hæreticorum fraudibus exercitatissimi pugilis S. Maximi Martyris. [a] S. Maximum blasphema locutum fuisse adversus Dei Genitricem, atroci calumniâ dissiparant Hęretici Monothelitæ. De hoc ille conventus à prioribus Cleri Presbyteris, & Diaconis, Religiosis Viris, adjuratusque per sanctam, & Consubstiantialem Trinitatem, ut hanc offensionem de animis piorum tolleret, sic se gessit, ut Fidei Athletam verè Marianum decebat. Rem habent descriptam Acta Martyris his omnino verbis. "Ma-
„ ximus humili prostratione corporis factâ sur-
„ rexit, dixitque manus in cœlum tendens cum
„ lacrimis: Qui non dicit Dominam nostram
„ *omnibus illis celebrandam, & Sanctissimam, &*
„ *Immaculatam, & omni intellectuali naturæ vene-*
„ *rabilem*, naturalem verè Matrem Dei factam,
„ qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia,

[a] *Ex actis S. Maximi apud Baron. an. 656. n 35. 36.*


quæ

quæ in eis sunt, esto anathema à Patre, & Fi- "
lio, & Spiritu sancto, Consubstantiali, & "
Supersubstantiali Trinitate, & omni virtute "
cœlesti, & choro Sanctorum Apostolorum, "
& Prophetarum, infinitoque Populo Sancto- "
rum Martyrum, omnique Spiritu in Justitiâ "
consummato, & nunc, & semper, & in sæcula "
sæculorum." "



PRIMÆ

Digitized by Google



PRIMÆ PARTIS ANACEPHALÆOSIS.



IDESNE, Lector Christiane, Hęreticorum technas, atque fraudes proseminandis erroribus opportunas? Libet eas sub unũ revocare obtutum; ut filum ipsum cernas & detestere universas, cautiusque vites.

a *Fraus 1.* a Nullum hæresi monstrum est tetrius: horrore sui nullos non mortales exanimet, avertatque in fugam, si non dissimulatâ formâ prosiliat in medium. Est verò monstrum hæresis terrificum impietate, furore, crudelitate, & ceterâ colluvie vitiorum. Vidit monstri parens Diabolus, tantæ fœditati tegendæ nullum esse velamen aptius, quàm Sanctitatis minimè vulgaris. Jussit igitur prodire hæresim virtutum omnium specie tam argutè fucatam, ut etiam peritissimis oculis imponere queat.

b *Fraus 2.* b Quoniam verò animis nostris præcipuum creant errorem inhumanitas, odium, furor, trucu-

truculentia, quæ omnia in se hæresis habet fumina; quoniam etiam ad conciliandum amorem potentissimus est amor, prolem suam Diabolus nobis exhibuit vestitam nitidissimâ specie caritatis. Desperavit tamen fucis suis attingi posse genuinos colores Reginę virtutum pulcherrimæ. Nomen igitur ipsum caritatis hæresi locavit in linguâ, ut tertio quoque verbo cogatur sonare caritatem: nomine caritatis monstrum texit à capite ad pedes; non tamen frontem, quam non habet illud monstrum.

[a] Caritatem decet esse comitatam blandâ lenitate, facilitate, affabilitate. Has verò Diabolus in pigmentandâ hæresi tam studiosè finxit, ut si rectè attendas, facilè animadvertas, earum venustatem degenerasse in cognata vitia adulationem, & lenocinia meretricia, quæ se prodant sermone, stylo, vultu toto. Finxit tamen eo artificio, quo facilè capiaris, nisi caveris.

[a] Fraus 3.

[b] Quid expectes, nisi ut his fisus pigmentis stygius artifex producat hæresim in medios conventus, mediumque forum, ut Virginem pudicam, omnibusq; probandã? sed ille verò haud ignarus clarâ & publicâ luce facilè redargui fucos, qui nocte & malignâ luce haud ægrè tueantur veri speciem, cavet sedulò, ne prodeat illico in publicum proles tam pudenda, quamvis mentito habitu, & colore. Prin-

[b] Fraus 4.

cipio ſpectandam exhibet ſubobſcurè, clam, & perpaucis, iiſque negligentioribus, & ſimplicioribus. Hos ubi captos videt, alios, alioſq; admittit, ſinguliſque propinat furtim, quod ſatis eſt, ut dementententur: donec tandem numerum obtineat conventiculo idoneum.

a *Fraus 5.* [a] Tum verò in cœtum convocatos clandeſtinum ſtatis diebus ex inſanis inſaniores facit. Hîc hæreſeos arcana pandit audacius, hîc Fraudes docet cæteras, hîc faces animis ſubdens Tartareas, Apoſtolos initiat, qui hæreſim ipſam circumferant longè latèque.

b *Fraus 6.* [b] Sic facti ad omnem fraudem emiſſarii ſatanæ circumeunt terram, quærentes quos dementent, & gregi ſuo adjungant. Ac primùm quidem iis adjiciunt oculos, quos ſpes eſt incautius venenum hauſturos, & inverecundius propinaturos aliis, aliiſque. Prima igitur cura fœminas expugnare; imò fœminarum choros, qui ea gaudeant canere, quæ Diabolus dictavit. Rem porrò minimè difficilem. Illâ ſpecie ſanctitatis, caritatis, gravitatis, modeſtiæ, demiſſionis, cæterarumq; virtutum, quâ prodit ornata hæreſis, tùm verò & blanditiis, & adulatione, quæ fœmina non vincatur? Succumbunt tamen eæ faciliùs, quæ & deguſtarunt quiddam ſpiritalis dulcedinis è piis exercitiis, & infirmum gerunt animum plus æquo placentes ſibi, atque inde arrogantes, undè modeſtiores oporteret

exiſtere.

Digitized by Google

existere. Hoc genus invenire est facile inter sacratas Deo Virgines: his igitur capiendis illi inhiant: hæ capi gaudent, præcipuè cum se illico magistras quasdam mirantur & circumspiciunt.

[a] Etenim simplicium virtutum specie haud contenti Hæretici, ut fœminis pariter virisq; capiendis sint habiliores, artem profitentur minimè vulgarem instillandi animis hominũ sensus quosdam sublimes, mentisque divinæ medullam quandam. Credas reipsâ, cum videas, & differentes audias, nihil esse illuminatius illis Doctoribus, neque certiores destinari è cœlo posse duces ad omnis absolutionẽ virtutis. Quanquam si animum adverteris, è multis unum præcipuè se prodit spiritus Satanici vestigium: quosquos nacti sunt discipulos, iis suum induunt fastum; ut illico sibi videantur omnibus mortalibus sapientiores, ac meliores; imò ut sapientiam alibi aut probitatem esse putent nullam.

[a] *Fraus 7.*

[b] Porrò uti usuvenit in scholâ Magistrum, si quos nactus est discipulos præ cæteris habiles ingenio, & discendi cupiditate, iis seponere præcepta quædam arcana, & non prodigenda in vulgus: ita planè ab Hæreticorum Patre Diabolo instituti Magistri, si quos animadvertant magis à naturâ factos ad condiscendam impietatem, & fraudes hæreticas, his sepositas habent instructiones quasdam

[b] *Fraus 8.*

arcanas, minimèque evulgandas: has illis seorsum à turbâ primùm quidem ostendunt magni beneficii loco, has collaudant, ut summi pretii gemmas, tandem verò delicatâ manu libratas avidè exposcentibus præbent auferendas; sed eâ lege, ut nemini copiã faciant attingendi. Illi verò domum auferunt perniciem multis nocituram, cum paucis in diebus haustâ largiter iniquitatis aquâ, eò dulciore, quia furtivâ, & jam vulgo discipulorum doctiores, gerere se incipiunt pro Magistris, & pruriente linguâ effundunt incautè, quæ clam acceperant.

Hîc verò deficit ingenio Diabolus. Utcumque clam esse fraudes suas studeat, aliis, aliisque viis lucem ostendunt. Illi tam probi viri, tam graves, tam modesti, tam pacati, & caritate ipsâ tam flagrantes, illi denique excolendorum ad omnem virtutem animorum tam periti Doctores, & Ascetæ solertissimi, ut se ferunt, atque omninò videri volunt, etsi hoc agant maximè, ut animum tegant Ecclesiæ rebellem, non tamen tegunt satis, neque effugiunt, quin Hæretici, quod sunt, vulgò audiant.

[a] *Fraus 9.* **[a] Probri tanti impatiens veterator stygius, vide quam fraudem incœptet. Odium declarat capitale versus Hæreses, & columen quoddam religionis videri studens, publica Orthodoxæ Fidei erigit propugnacula. Videas Hæreticos**

Digitized by Google

reticos, ne Hæretici videantur, adversus Hæreticorum sectas à suâ diversas decertare strenuè linguâ, stylo, nullâ non machinatione. Quis suspicetur, Hęreticos esse, quos animadvertat Hæreticis tam esse implacabiles. Sed illi verò contra eam Hæresim, cujus invidiâ laborant, verbum nullum, quasi hæresis esse non possit eorum hominum, qui hæresim è multis unam, alteramvè insectantur.

[a] Haud igitur satis fisi huic fraudi, quò penitus abstergant hæresis suspicionem omnem, affectant quoddam inter ipsos Orthodoxos Magisterium morum. Constat, hæresim omnem ducere ad perditionem. [b] *Latam verò portam, & spaciosam viam esse, quæ ducit ad perditionem: Angustam portam, & arctam viam esse, quæ ducit ad vitam.* Ut igitur persuadeant, procul se abesse ab omni culpa hæresis, prodeunt nobis severi quidam morum Censores, Heraclyti tristes: oculis ad fletum eruditis; sed & voce ad exclamationem doctâ; O Ecclesiã! O tempora! O mores!

[a] *Fraus 10.*

[b] *Mat. 7*

[c] Hic verò quid expectes, nisi ut Moralem Theologiam suscipiant reformandam? Dici non potest, quàm sit ab illâ peccatum graviter, Hæreticorum judicio. Vah! Ullamne adhiberi regulam ad formandos mores præter caritatem? Quidquamne tribui humanis rationibus, tam nullâ curâ Scripturæ sacræ, & Sanctorum Patrum? Alia multa hujus generis.

[c] *Fraus 11.*

Digitized by Google

Hactenùs Hæreticorum Pater Diabolus eas fraudes adhibuit, quibus etiam non incauti homines capi possint. Hæresim sic velavit, fucavitque, ut obrepere possit vix agnita, & placere quamplurimis. Successu elatus fraudem nexuit, quà seipsum planè prodidit, hæresisque ingenium atrox spectandum dedit, jam non severus, sed crudelis.

a Matt. 7. [a] *Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Hoc ipsum dolens veterator immitis, quosdam paucos saltem invenire viam, quæ ducit ad vitam, atque animadvertens, per Sacramentum Pœnitentiæ potissimum solere in viam redire, qui deviarunt, nihil non egit, ut hanc ipsam miseris mortalibus redderet inaccessam.

b Fraus 12. [b] Hoc verò ut effectum daret, sic suos instituit, ut frontem exasperarent ad quandam severitatem prorsus inhumanam, arcentes à Sacramento Pœnitentiæ, eos omnes qui Sacramento Pœnitentiæ egent maximè. O immitem misericordiam! Absolvi quempiam peccatis inveteratum, aut citò relapsurum? non est hoc absolvi; sed ligari vinculis peccatorum, atque alligari compedibus, & manicis æternis. Nullas præmitti pœnas absolutioni, aut satisfactiones? O inversum ordinem Sacramenti Pœnitentiæ, ipsamque Pœnitentiam subversam! Hæc sentit, hæc videt Ecclesia, & patitur matrum more nauseantibus filiis non adhi-

Digitized by Google

adhibentium necessarias medicinas. Hæc illi ploratu, atque ejulatu hæretico, atque evectâ severitate ad fœdam usque crudelitatem.

[a] Ejusdem severitatis dementi studio Fraudem nobis architectatus est Hær. ticorum Pater omnium atrocissimam. Arcta est via, quæ ducit ad salutem. Sic est. Sed miseris mortalibus *Fenestram cœli* apertam servat Dei misericordia Matrem suam, adeoque Matrem Misericordiæ Virginem MARIAM. Non patitur, non sinit hæreticus furor. *Cœli fenestram* convellit, serisq; adamantinis occludere affectat. a *Fraus 13.*

Tanto flagitio caritas obtenditur, & quidem purissima caritas in Deum pariter, & in humanum genus. *Soli Deo honor & gloria.* Vah! Teneriusne amari MARIAM, quam Deum? Plus temporis huic exorandæ impendi? Hanc dici Mediatricem, & Advocatam nostram? Tantum fiduciæ locari in Ancillâ Domini, in Conservâ nostrâ, in nihilo? O fiduciam lethalem! Cætera dedi in loco. Atque hæc illi dum ejulant, quàm probi viri, & severi, quàm castigatè Deum amantes videri student?

Tu Diva Cœli Regina, quæ [b] *cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*, ne patere, ut clientes tui, Hæresum Satore Diabolo excæcante, non videant fraudes tam apertas

b *Antiphon. Eccl. ex S. Sopronio. Serm. de Assump. S. Bernard. serm. de B.V. ex verbis Apocal. S. Anselm. in cap. 1. Cantic. aliisq;.*


a Cyrill. Alexan. homil. contra Nestor. b Ibid. c Ibidē.

apertas: [a] *Tu Lampas inextinguibilis*, Christi Ecclesiæ semper lucens, dissipa fulgore tuo fœdas tenebras, & virtutum umbras, quas oculis nostris objiciunt hostes tui. [b] *Tu sceptrum Orthodoxæ Fidei*, rege fidē nostram. [c] *Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad sanctum Baptisma pervenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ..... Per te Vnigenitus Dei Filius vera illa lux effulsit sedentibus in tenebris, & umbra mortis: per te Prophetæ prænuntiarunt: per te Apostoli salutem gentibus prædicarunt.* Per te insitam pectoribus nostris fidem Prophetarum, Apostolorum, & qui hos illuminavit, JESU Christi Filii tui, serva inconcussam impressionibus tam validis, illæsam expedi tot laqueis, ipsamque fraudum colluviem omnem in suas tenebras relega Orci Domitrix, atque Dominatrix MARIA.

FINIS.

APPRO-

Digitized by Google



APPROBATIONES.

TRactatus hoc tempore perutilis de FRAUDIBUS HÆRETICORUM AD ORTHODOXOS FRANCISCI SIMONIS jam orbi Catholico abundè probatum zelum & ἀκρίβειαν redolet, Sathanæ artes, quas in filiis iniquitatis hujus exercere assolet in apricum protrahit, hinc summo suo merito in lucem edi, & per hanc Archidiœcesim divulgari non modo permittimus, sed etiam animarum curatores in Domino exhortamur, ut illum sibi comparare, studiosa manu versare, & populo Catholico pro cancellis suis ejus egregia contenta pandere satagant. In hoc muneri suo satisfacturi. Dabam Moguntiæ in festo S. Brunonis, Anno 1676. die sextâ Octobris.

ADOLPHUS GODEFRIDUS VOLUSIUS *Doctor Episcopus Diocletianopolitanus, librorum Censor.*

LIbri, cui Titulus est, DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM AD ORTHODOXOS Tractatio perutilis, partem primam

mam Authore FRANCISCO SIMONIS J. U. L. perdoctè, nec sine studiosâ SS. Patrum ubique oportunissimè adductorum pervolutatione compositũ, cum accuratâ præsentis animi indagine jussu Adm. R. Prænobilis, Clarissimi, Consultissimique Viri ac Dñi, D. JOANNIS FRANCKEN SIERSTORFF Metropolitanæ & Electoralis Ecclesiæ Colon. Canonici Presbyteri Capitularis, Florentissimi Gymnasii Laurentiani Regentis, &c. Librorum Censoris Ordinarii, &c. pervolvi, singulaque in eadem parte cõtenta in pondere Sanctuarii trutinavi, nec tamen quicquam invenire potui, quod vel sanæ & orthodoxæ doctrinæ fidei aut SS. Patrũ, vel Conciliorum Decretis, vel Romanorum Pontificum Constitutionibus Apostolicis, seu etiam bonis moribus ac caritati fraternæ adversetur. Quare eundem luce dignissimum esse censeo. Coloniæ die 26. Septembris anno gratiæ 1676.

Ita est, FR. JACOBUS EMANS *Ord. Carmelitarum S.T. Doctor, & Professor Ord. ejusdemq; S. Facultatis in almâ Universitate Coloniensi pro temp. Senior. M. P.*

Digitized by Google

PRæſens Liber qui inſcribitur DE FRAUDIBUS HÆRETICORUM AD ORTHODOXOS TRACTATIO PERUTILIS &c. cum aſſerentibus ita approbationibus præmiſſis, nihil quod fidei Orthodoxæ, SS. Patrum, ac Conciliorum Decretis, vel bonis moribus adverſetur, contineat, optimo jure typis mediantibus lucem aſpiciet publicam. Coloniæ Agrippinæ 12. Decembris 1676.

JOANNES FRANCKEN SIERSTORFF
Can. Metrop. Eccl. lib. Cenſor. Ord.

Digitized by Google

Digitized by Google